DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS;

De

FEBRE PETECHIALI.

Hanc

summo aspirante archiatro,

DECRETO ET AUTORITATE

Inclyti ac Gratiosissimi Senatus Medici

in illustri ac florentissimâ

SALANA,

PRÆSIDE

VIRO

NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO

ATQUE EXPERIENTISSIMO,

DN. GVERNERO ROLFINCIO,

Phil. & Med. Doct. Pract. ac Chim. Prof. Publ.

Eminentissimo, Academiæ Seniore gravissimo,

Domino Præceptore ac Promotore meo omni observantiæ cultu ætatem suspiciendo,

PRO LICENTIA

SUMMOS HONORES, PRIVILEGIA ET INSIGNIA DOCTORALIA IN ARTE MEDICA LEGITIME IMPETRANDI,

publico philiatrorum examini submittit

CHRISTOPHORUS RELOVIUS,

HAMBURGENSIS.

Anno 1664. die Augusti.

JENÆ,

Literis NISIANIS.

VIRIS
Magnifico, Nobilissimo, Consultissimo, Excellentissimo,
DOMINO
BARTHOLDO MULLERO,
Jurisconsulto consummatissimo, Consuli Seniori eminentissimo, clavum florentissimæ Patriæ summâ cum prudentiâ moderanti.
Maximè Reverendo, Reverendis, Nobilissimis, Amplissimis,
DOMINO
JOACHIMO GÖDERSEN,
Reverendi Capituli Decano eminentissimo.
DOMINO
GUNTHERO ERICO von Eitzen/
Seniori Canonico Primario.
DOMINO
LUCÆ LANGERMANNO,
Canonico Primario.
Juris utriusque Doctoribus excellentissimis.

NEC

NEC NON

Nobilissimis, Excellentissimis, atque Experientissimis,

DOMINO

JOHANNI ALBERTO HUSWEDELIO,

Reipublicæ Hamburgensis Physico, Practico felicissimo.

DOMINO

MICHAELI KIRSTENIO,

Physic. ac Poës. Professori celeberrimo, Practico florentissimo,

Medicinæ Doctoribus eminentissimis.

UT ET,

Præclarissimo, Præeximio

DOMINO,

M. PAULO RELOVIO,

Scholæ Patriæ Collegæ meritissimo.

Dn. Dn. Evergetis, Mecœnatibus, Promotoribus, Parenti omni honoris & observantiæ cultu, filiali obsequio suspiciendis.

Hunc inauguralem partum in sui recommendationem

offert

AUTOR.

IN amplisſimum, Viri, Magnifice, Maxime Reverende, Reverendi, Nobilisſimi, Conſultisſimi, Experientisſimi, Præclarisſime, laudum veſtrarum Oceanum exiguam hujus epiſtolæ cymbam ducere, jam non contendam. Quis enim hîc fundum ſperet, ubi nullus planè terminus? Quis ad portum aſpiret, ubi laudum immenſitas extra horyzontis ſphæram diffunditur? Si veſtra erga patriam merita intuear, abyſſus eſt, ſi animi celſitudinem, ſine fundo pelagus, ſi jurisprudentiam miraculum, ſi in ægris ſublevandis felicitatem, prodigium, ſi in erudiendâ juventute dexteritatem, ſumma gloria eſt, adeò ut ſi vaſtisſimo huic æquori ratem committerem, facilè ad temeritatis ſcopulum allidererer, ſi hærerem, timoris & puſillanimitatis Charybdim pertimuisſe viderer. Hæc omnia potiùs alto venerabor ſilentio, quàm ut virtuti invidiam concitem. Prædicet hæc Auguſta Hamburgenſium, quæ quotidiè veſtram in conſervandâ republicâ ſollicitudinem, veſtram in ſacris rebus ſuſtentandis dexteritatem, veſtram in ſublevandis civium ægritudinibus felicitatem, tuam in informandâ juventute ſedulitatem admiratur. Harum laudum ſplendore motus veſtro in amore & favore anchoram firmo, & inauguralem hanc de febre petechiali veſtris manibus ſummâ animi

mi

mi ſubmiſſione offero. Accipite quæſo petechialem, rudi ingenii penicillo exaratam, & autoris ſubjectum adſpicite animum. Non offero VOBIS opus aliquod, nonum usque in annum ſub ingenii examine preſſum, ſed paginas paucis diebus pro ingenii modulo adumbratas. Quod ſi forſan in uno vel altero non omnia fuerim aſſecutus, hominem genitum non omnia humana noviſſe cogitate. Veſtro ſi paginæ probabuntur judicio, ab omnibus injuriis tutæ erunt. Suprema Majeſtas Vos omni gratiarum & benedictionum genere in ſplendidiſſimum patriæ emolumentum, rei ſacræ ornamentum, multorum ægrorum ſalutem, juventutisque commodum Pylios annos conſervet. Ut Phydiæ effigies Minervæ ſcuto eximi haud potuit, quin tota moles diſſolveretur, ſic pectori meo inſculpta ſedebit veſtrorum meritorum recordatio, perpetuumq; ſervitia præſtandi deſiderium, donec animam in corpore figam moribundo.

Dabam in Athenæo Salano ANNO MDC LXIV. VII. Cal. Auguſti.

Veſtr. Amplitud. Excell. Claritat.

obſervantiſſimus
Chriſtophorus Relovius.

DISSERTATIONIS
De
FEBRI PETECHIALI,
PROOEMIUM.



INterrogatus quondam *Austrius Albertus*, quænam jucundissima esset possessio? respondisse dicitur, *Sanitatis, cujus thesaurus tàm pretiosus, ut quidvis potiùs perpeti debeat homo, quàm eum sibi eripi sinat*.

Prudentissimum sanè viri responsum! egregium verissimumque sanitatis encomium! si enim in innumeras ejus utilitates cogitationibus nostris exspaciemur, immensus sese nobis aperit campus, ut ea summo jure omnis fundamentum jucunditatis appellari mereatur.

Quid quæso jucundius? quàm infinitis perpetuæ sanitatis frui commodis? quid svavius? quâm nullis obnoxium esse morborum invasionibus? quid denique amœnius? quàm sanitate stipatum peregrinas visitare regiones? varios incolarum mores mirari & consvetudines? Ut enim Cynthius, lampas mundi fulgentissima, splendore suo universam orbis faciem illustrat, cæteraque sidera illuminat, ita etiam sanitas totam corporis compagem conservat, omnibusque ejus partibus vigorem impertitur. Eâ in corpore nostro existente, tota microcosmica œconomia benè est constituta, quælibet suo munere fungitur facultas, bonum ventriculus elaborat chylum, optimum cor ex eo generat sangvinem, omnem in depurando sangvine hepar adhibet diligentiam, noxios ichorosi humoris characteres lien segregat, segregatos ad renes cum urinâ tandem excernendos mittit, cæteraque viscera in spartâ debito modo exornandâ summoperè sunt occupata. Spiritus *animales* totum exhilarant hominem, omnes tristitiæ nebulas operosè semovendo, omnes melancholiæ labyrinthos præcavendo. *vitales* Nestoreos promittunt annos, quicquid numerosam eorum seriem impedire posit, supprimentes.

Geni-

Genitales ſuis etiam benè proſpiciunt partibus, corpori robur addunt firmum, ut hinc quævis onera, quasvis actiones alacriter ſubire posſis, totaque corporis ſtructura validis innititur fundamentis.

Sanitatis beneficio Reges & Principes ulteriori ſubditorum ſaluti invigilant, & ad populi actiones attendunt. Ejus ope

Impiger extremos currit mercator ad Indos
Per mare, pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Ejus ope robuſtos agricola aratro adhibet lacertos, frugiferæque ſegetem telluri committit, de quâ meſſem ſuo tempore opimam avidus exſpectat.

Summam hanc ſanitatis excellentiam optimè agnovit & ponderavit Lyricorum Poëtarum Phœnix *Venuſinus lib. 1. epiſt.* dum inquit:

Si ventri benè, ſi lateri pedibusq́ tuis, nil
Divitiæ poterunt regales addere majus.

Aſt quàm facilè pretioſisſimus hic ſanitatis theſaurus, omnis felicitatis ſcaturigo amittitur? Ut nubeculæ alicujus interpoſitio nitidisſimos ſolis radios aufert, ita etiam minimus diætæ exceſſus ſanitatis vigorem perturbat.

Verùm quis in tantâ hominum multitudine illud perpendit. Omnes

Nitimur in vetitum ſemper, cupimusque negata.

Sæpè plus ingeritur, quàm ventriculi noſtri menſura capit. Hæc copioſa ciborum & potuum ingeſtio omnium cruditatum, omnis putredinis mater; quæ enim in alimentum converti debebant, merum fiunt detrimentum, quia ciborum copia à ventriculo coctione ſuperari non poteſt. Hoc ſuo etiam tempore expertus eſt ſubtilisſimus *Seneca*, dum *epiſt. 99. ad Lucilium* ſcribit: *multos morbos multa ferunt fercula.* Hinc non ſolum corpus, ſed animus etiam ſua bona inevitabili exponit naufragio. Quot & quantas ventriculus crudus inducit gravisſimorum morborum beſtias? Hinc quot & quantas ſpirituum mala conſtitutio virium debilitates?

Plinius, historiarum promus condus ſuo ſeculo trecenta morborum genera, quibus homo obnoxius eſſet, numeravit *lib. 7. cap. 51.* & *lib. 25. cap. 2.* Egregia certè morborum multitudo! Aſt ſi accuratiùs in eorum numerum inquirere vellem cum *Marone, lib. 6. Æneid.* Theſei innumera flagitia deſcripturo fatendum mihi eſſet:

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
ferrea vox, morborum omnes comprendere formas,
omnia ſymptomatum percurrere nomina poſſem.

Quanta autem ex hâc uberrimâ morborum ſegete actionibus humanis oboriantur incommoda, non multis verborum ambagibus recenſebimus, cum cuilibet conſtet, quæ ibi mera erant gaudia, hîc infinitas eſſe ægritudines, quæ ibi jucundisſimæ voluptates, hîc gravisſimos eſſe dolores, quæ ibi ſumma erat felicitas, hîc maximam eſſe miſeriam. Sanitate amissâ, omnis ſimul amiſſa Imperatoris felicitas, clavus reipublicæ perturbatus, ſubditorum periclitatur ſalus. Mercatore morbo correpto, mercatura eſt quaſi ſepulta. Campus ruſtici ope deſtitutus jacet incultus, ager non frumento, ſed zizaniâ luxuriat.

Quò itaque communi omnium occurratur damno, ex tot ſalutis noſtræ antagoniſtis, unum prælo ſubjicere, inque ejus naturam & cauſas inquirere in hoc inaugurali exercitio conſtituimus.

Aſt dum à tanto morborum exercitu circumdati, eorum numerum circumſpicimus, in primo ſtatim limine hæremus, cui ex tot humani corporis hoſtibus dicam ſcribamus.

Cum autem FEBREM PETECHIALEM plurimos morbos violentiâ, periculoſo eventu antecellere, ſuaque malignitate non ſolùm totum corpus, verùm imprimis etiam ipſum cor, vitæ noſtræ palatium, aggredi, oppugnare, vincere, ſuoque contagio multas hominum myriades è viventium numero citisſimè tollere, videamus, ejus atrocitate moti ipſi nos pro ingenii viribus opponemus, & è corpore humano exterminare conabimur.

Tu

Tu verò triune DEUS, summe Archiater, mentem nostram dirige, nobisque Spiritu tuo Sancto succurre, quo hujus armati auxilio FEBRIS PETECHIALIS violentiam felici sidere ad Garamanthas & Indos propellere possimus.

CAPUT I

In nominis rationem inquirit.

DE eo ante omnia nos jubet esse sollicitos *Galenus*, venerabilis artis medicæ arcanorum mystagogus, nunquam sine summo honoris citandus encomio, dum *1. method. med. c. 5. ἐπὶ πάντων ζητουμένων εἰς λόγον χρὴ μεταλαμβάνεσθαι τοὔνομα, in omnibus, de quibus quæritur, ad rationem oportet assumi ipsum nomen*, inquit. *Eo enim in rei cognitionem venimus* J. C. Scaligero autore.

Nomen itaque nostri affectus FEBRIS dicitur PETECHIALIS.

De vocabulo FEBRIS dubitant ETYMOLOGI, unde ORIGINEM suam traxerit.

Sunt, qui à *Februis* Romanorum festo, quo tota civitas ab omnibus piaculis lustrabatur, deducunt, à quo festo mensis februarius dictus est, quod febris simili modo totum corpus à vitiosorum humorum colluvie separet & purget. Verùm non videtur propriè, sed propter aliquam tantùm convenientiam inde derivari posse, cum multæ dentur febres, quæ corpus ab humorum abundantiâ non liberent, sed potiùs eorum perturbationem pariant. Si enim omnis febris corpus purgaret, nulla esset lethalis.

Trincavellus in *1. Galen. lib. de differ. febr. latinè febris, ait, dicitur à fervore*, fervidum enim calorem significat, & qui excedit naturales terminos.

Paracelsus lib. 1. paramir. cap. 6. tom. 1. erroneè nomen à fervore deduci, ait, cum ille fervor signum saltem morbi, non materia, non causa: nomen verò debere procedere à materiâ, proprietate & naturâ ipsius substantiæ. Hinc febrem *tractatu de pestilitate tom. 3. pag. 46*, morbum nitri 🜕 incensi vocat.

Nicolaus Perottus Sipuntinus in Comment. Lat. Ling. pag. 26. 50. à feritate provenire, quà lædit corpus, exiſtimat.

Alii denique à piſce quodam, qui à *Scaligero de ſubtilitate ad Cardan. exercitat. 218. 6. Febrius* dicitur, nomen accepiſſe putant. *Piſcem illum* (ſcribit Scaliger l. c.) ſi quis manu capiat, continuò febri corripitur, ámiſſo verò piſce liberatur. Nos autem piſcem hunc magis à febre quam excitat, quàm febrim ab eo appellari arbitramur.

Græcis πῦρ πυρετὸς *ignis* vocatur; ita æternum artis Medicæ fundamentum *Hippocrates*, cujus fama non niſi ipſis ſiderum circuitibus terminatur, cum quibus in æternum ejus gloria ſingulis diebus omnibus terræ locis oritur, *2. aphoriſ. 26.* per πυρετὸν *febrem* intelligit.

Πυρετὸς ὠνόμαςαι, inquit Galenus 3. de fractur. cap. 8. ἀπὸ τοῦ πυρὸς, καὶ τοῦτ' ἐστιν τοῦ πυρετοῦ, εἶναι τὸ θερμασίην ἔχειν πυρώδην, *Febris vocatur ab igne, æſtu, calore, incendio. Ea eſt febris eſſentia, quod calorem igneum habeat.*

Alterum affectus hujus vocabulum dicitur PETECHIALIS, à *petechiis*, i. e. *maculis*, quoniam hæc febris nunquam ſine maculis eſſe ſolet.

Petechiæ vox omninò barbara eſt, ſimulque cum ſuo morbo nobis diu incognita, jam verò & vox, & morbus omnibus notisſimus. Videtur tamen provenire ab ungaricâ voce *Betegſeg*, quæ ipſis morbum indicat, & ita κατ' ἐξοχὴν morbum vocant. Ita etiam Itali il morbo peſtem propter violentiam appellant.

Non incommodè à Græco verbo πετάω *extendo, volo*, derivare poteris, quod maculæ iſtæ per univerſam ferè corporis circumferentiam quaſi extendantur: vel quod ſubitò appareant, ſubitò etiam diſpareant, ita ut quaſi avolare videantur.

Petechiæ vox *in genere* omnes maculas ſuo ambitu complectitur, quocunque etiam modo, ſive criticè ſive ſymptomaticè in febribus malignis erumpant. *In ſpecie* verò notat febrem illam malignam, in quâ maculæ petechiæ dictæ ſemper apparent. Hinc etiam κατ' ἐξοχὴν febris petechialis vel abſtractivè petechiæ nominantur.

SYNO-

SYNONYMIA varia est, & à variis autoribus diversis nominibus hæc febris insignitur.

Nonnulli eam *puncticularem*, *peticularem*, appellant, à *peticulis* & *puncturis*, ob similitudinem.

Alii pulicularem vocant, cum maculæ illæ pulicum morsus repræsentent.

Joh. Thom. Minadous. lib.1. de febr. malign. cap.3. lenticularem ob figuram dicit.

Paulus Neucranzius, cap. XVI. purpuram nominat ob colorem.

Primerosius lib. 4. de febr. cap. III. pag. 410. purpuream febrim itidem ob colorem appellat.

CAPUT II
definitionem exhibet realem.

COgnito jam nomine proximum erit ipsa morbi penetralia ingredi & ante omnia primò definitionem brevi perspicuitate in medium afferre, ut ex eâ quisnam morbi status, quæ conditio, omnibus innotescat; ne eâ omissâ cymmeriis in tenebris palpemus & cum cæcis de colore judicemus. Definimus itaque

Febrem petechialem morbum intemperiei calidæ, malignum, contagiosum maculis in cutis superficie totius ferè corporis versicoloribus sine pruritu & protuberantiâ erumpentibus conspicuum, cum capitis gravitate, cordis anxietate, & maximâ virium debilitate, à singulari sangvinis corruptione & humorum putredine dependentem.

Hæc definitio ut melius accommodetur affectui, in examinis incude tanquam in lydio lapide probanda, bonæ enim definitionis forma est, ut nihil in eâ desideretur nihilque supersit, ut habet *Philosophus 6. top. 3.*

GENUS seu rationem formalem *morbum intemperiei calidæ* diximus.

Febrem petechialem MORBUM esse ex definitione morbi omnibus notum; est enim affectus præter naturam corporis vi-

ventis actiones primò lædens. Morbus non levis, sed acutus est, quod ex celeri pulsus motu, qui cum impetu manum pertundit, patescit.

Intemperiei Morbum esse, quoniam conveniens corporis temperamentum mutatur, nemo fortean ibit inficias.

Τὸ θερμὸν παρὰ φύσιν CALOREM p. n. febris designare essentiam *summus dictator* suâ stabilivit autoritate, dum pluribus in locis febrim τὸ πῦρ insignivit.

Pergamenus hanc sententiam suo confirmat suffragio ἡ οὐσία *inquiens, 6. epidem. com. 1. t. 29.* Τῶν πυρετῶν οὐ καθ' Ἱπποκράτην μόνον, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν κοινὴν πάντων ἀνθρώπων ἔννοιαν; ἡ παρὰ φύσιν θερμασία, *essentia febris non Hippocratis solùm sed & communi omnium hominum sententiâ est præter naturam caliditas.*

Galenus lib. de caus. morb. assentit, & *febrem immoderatam totius corporis caliditatem dicit.*

His astipulantur *Trallianus lib. 2. cap. 1. Trincavellus de diff. febr. cap. 1. & alii.*

Caliditas ista ita cum febre nostrâ conjuncta est, ut hæc sine illâ existere nequeat, quod nemo fortean, nisi febris naturæ planè ignarus, negare poterit. Ea enim ipso sensu manifesta est, ut firmioribus rationum fundamentis non indigeat. Hac præsente cum pulsu crebriore, respiratione intemperatâ, siti, urinâ rubicundâ, vigiliis nimiis, omninò febrim adesse judicare licet.

SICCITAS an de febris petechialis sit essentiâ inter artis nostræ Proceres maxima est controversia. Ab utrâque parte viri adsunt magnæ autoritatis, maximique ponderis.

A parte affirmativâ stare videntur, qui febrim in genere esse SICCAM INTEMPERIEM formaliter asserunt.

Ipse *Cous* in calidâ non solùm intemperie, sed & siccâ febris consistere essentiam asserere videtur, quando *1. aphor. 16.* ὑγραὶ inquit, δίαιται πᾶσι, τοῖς πυρεταίνουσι συμφέρουσι, *humidus victus febricitantibus utilis.*

Galenus itidem *1. acutor. t. 15. & 43.* de virtute medicamenti febri competentis sollicitus, illud frigidum debere esse & humidum

midum ait, existimavit fortè quia tali indiget auxilio esse calidam & siccam.

Horatius Augenius lib. 1. de febr. cap. 10. in calidâ solâ intemperie febrim consistere non posse, sed simul siccum esse affectum, in formali suâ ratione astruit, tribus potissimùm rationibus.

1. quia febris ab Hippocrate πῦρ indigitata est. Cum itaque febris sit ignis seu igneæ naturæ & ignis sit calidus & siccus sequitur febrim esse calidam & siccam.

2. quia Hippocrates febricitantibus victum humidum imperet.

3. quia hectica febris rem clariùs demonstret, quæ omnibus ferè consentientibus sicca est & calida.

Ab alterâ parte multos quamvis adducere possemus viros gravissimos, omnium tamen instar nobis erit Magnus noster ROLFINCIUS, Salanæ hujus Æsculapius, cujus divinas virtutes, æternam famam, egregiaque facta potiùs animo demiror & silentio veneror, quàm ut indigno sermone illorum lucem obscurem. Hic enim *ord. & meth. cogn. & curand. febr. general. cap. 6. p. 29.* enucleatè ac nervosè satis siccitatem ad febrem magis *effectu* quàm *affectu*, effectivè magis & per concomitantiam quàm formaliter & per essentiam pertinere asserit in cujus Socratico edicto, ipsâ veritate & ratione suffulto, omninò acquiescimus.

Argumenta ab Horatio Augenio proposita tanti non sunt valoris, ut refutari nequeant.

Ad I. enim respondemus Hippocratem febrem πῦρ appellasse, ut ejus & præsertim malignarum æstum & vehementiam eò magis exprimeret, & quod etiam in aliquo effectu febris cum igne conveniret, in calefaciendo nimirum & exsiccando. Non enim sequitur: Hippocrates dixit febrim esse igneæ naturæ, ergò omninò ignis est, & omnes actiones & effectus habet ignis. Aliàs enim ut ignis domum, ita febris hominem combureret, & in cinerem redigeret.

II. quod attinet, victum humidum Hippocrates febrici-

tan-

tantibus præscribit, non ut morbus tollatur, sed ut corpus in suo statu conservetur, nec in morbum siccum incidat.

III. Tertium argumentum cum sit particulare, & à febri hecticâ desumptum concedimus. A particulari ad universale non valet consequentia. Concludimus ergò meritò siccitatem non esse de formali febris petechialis ratione.

Paracelsus novitatis amans, ut ingenii sui acumen omnibus ostenderet, excogitavit aliam febris originem & naturam, dicitque eam provenire ab accenso ⦶ & 🜍 & ita in accensâ hâc substantiâ febris essentiam constituit. Verùm si concedere vellemus inde provenire, quis crederet ⦶ & 🜍 à se accendi, & non à calore adveniente.

Firmo itaque stat talo, solum calorem ipsam febris constituere essentiam, neque hic per datam rationem corruit.

SPECIES febris ut plurimum est continua, at ratione quarundam exacerbationum continuæ tertianæ æmula.

CAPUT III.
Subjectum explanat.

SUmmas dignitates summis semper conjunctas esse periculis Dionysius Syracusanorum Rex, Damocli regiam ipsius felicitatem ad cœli culmina evehenti, satis superque indicavit, dum ministris suis, Damocli regio locato in solio ad nutum obtemperare, ipsiusque capiti gladium paucis equinis annexum setis perpendiculariter impendere juberet.

Quid corde vitæ nostræ monarchâ superius? quicquid sanitatis, quicquid vigoris, quicquid denique vitæ reliqua habeant viscera, ipsi cordi, sanitatis, vigoris, vitæque scaturigini debetur.

Cor regiâ gaudens dignitate in medio corporis nostri residet palatio, quo eò commmodiùs singulis partibus vitam & vigorem impertiri possit.

Hanc cordis eminentiam optimè attendebant veteres, dum pectus coronare ungventisque illinire solebant, quoniam in eo cor, vitæ nostræ Regem collocatum sciebant.

Ast

Ast quò magis à supremo rerum creatore & naturâ nobilitatum, eò majoribus obnoxium vivit periculis. Quod enim Damocli unicus gladius, illud cordi infiniti ferè morbi minantur.

COR PRIMARIUM febris petechialis SUBIECTUM esse autoritatibus & rationibus probari potest.

Galenus de diff. febr. ἡ γὰρ ἔγκαυσις, ἢ ἀπὸ τοῦ ἡλίου ἐνέργεια, *inquit,* ταύτην ἔχει προσηγορίαν, καὶ αὐτίκα πυρετὸς ἐστὶ εἰ μὴ συνεκθερμαίνῃ τὴν καρδίαν. *Sive enim exustio, sive solis operatio calorem in corpore excitet præter naturam, nondum tamen febris est, nisi cor una calefiat.*

Eandem fovet sententiam Nobilissimus Dominus Præses, *meth. cogn. & curand. febr. gener.* Nos *inquit*, censemus præcipuum febris subjectum esse cor, adeò, ut etiamsi reliquæ partes calorem habeant non naturalem, is verò ad cor non pertingat, nunquam oriatur febris, statim autem atque ille cordi communicatur, febris tum demum suam nanciscitur denominationem.

Universus artis Medicæ Senatus suo suffragio consentit, primariumque omnis febris subjectum cor constituit. Si itaque cor subjectum omnis febris, utique etiam petechialis primarium existet, quod enim de omnibus dicitur, illud etiam de hâc vel illâ febre dici potest.

RATIO insuper ipsa hanc perpetuæ veritatis regulam confirmat, & cor subjectum nostri affectûs primarium proclamat.

Hoc I. patet CALORIS ratione. Cor est officina caloris, & à nullo alio viscere calor corpori communicatur. Si est officina caloris, omnium viscerum erit calidissimum. Si est calidissimum, ideoque etiam priùs potest accendi, quàm reliquæ partes, & per consequens erit primarium subjectum. In vivis canibus apertis cordis caliditatem exploravimus, alterum digitum cordi, alterum hepati immittendo, cordis calorem majorem, quàm hepatis invenimus.

Tactu cor non esse calidius negare videtur *Jacobus de Back dissert. de cord. sect. 3. cap. 1.* quando *aperto*, dicit, *vivi animalis*

pectore

pectore tantum calorem in tactu non percipi, neque exploranti majorem, quàm aliorum viscerum observari.

Nos hujus autoritati nihil detrahemus : paucis tantùm verbis nostram experientiam præmisimus.

II. Patet idem Pulsus ratione, qui est actio cordis à pulsificâ facultate, igneque animali, seu spiritibus vitalibus sangvini arterioso immersis dependens, uti beatus *D. Mœbius, Vir supra laudis peripheriam positus, Præceptor meus fidelissimus*, cujus vivacem famam & æternum nomen nullum delebit seculum, in suis *fund. physiol. de usu cordis* testatur. Hic enim in statu sanitatis calorem naturalem in corde elaboratum per arterias in totum corpus dispergit, idem etiam per easdem vias in statu morbi materiam morbificam in totius corporis circumferentiam transfert.

Hîc autē dissentientes audiuntur nonnulli, qui Harveanâ moti traditione, potiùs sangvinē, primarium febris subjectum, quàm cor agnoscunt. Ille enim pulsum ex sangvine ortum habere, & sangvinem esse partem genitalem, fontem vitæ, primum vivens, ultimò moriens, sedem animæ primariam, in quo tanquam in fonte calor primò & præcipuè abundat vigetque, & à quo reliquæ omnes totius corporis partes calore influente foventur & vitam obtinent.

Hæc Harveana sententia multis indiget probationibus, & maximam partem à plurimis in dubium vocatur.

Nos cum eo non litigabimus, si cordi primariò, venis & arteriis, contentoque in iis sangvini secundariò hæc encomia tribuat.

Helmontius aliud febris primarium subjectum in scenam producit, dum nidum febrium in primis officinis ponit. Extenditur, *scribit.* à pyloro per duodenum & vasa ibidem multiplicia in intestina, item venas mesenterii, lienem, usque ad hepar.

Hunc sequitur *Franciscus Oswaldus, Grembsius lib. qui inscribitur arbor integra & ruinosa hominis III. cap. II. de febr. nat.* N. 49. *& cap. III. de febr. malign.* N. 2.

Nos

Nos aliorum autoritatibus & rationibus edocti, horum opinionem potiùs miramur, quàm quòd eam civitate donemus. Helmontio & Grembſio, quorum anima in pyloro reſidebat, concedimus, de noſtrâ & aliorum animabus longè aliter ſentientes.

Ventriculum ſuam conferre ſymbolam ambabus largimur manibus, eum verò ſubjectum dici poſſe primarium planè negamus. Accidit interdum, quod in febribus malignis ex nimiâ vel pravâ victus ingeſtione primò afficiatur, ſed hoc tantùm eſt ratione temporis, non ratione eſſentiæ, nondum enim febris dici meretur, ſi cor non ſimul patiatur. Ventriculus omninò febris ſubjectum eſt ratione cruditatis ſeu cauſæ, non verò ratione caloris ſeu eſſentiæ; primò enim ventriculus eſt frigidus, & conſtat membranâ naturâ frigidâ: deinde exiguæ venæ & arteriæ hinc inde diſperſæ totum corpus inflammare nequeunt.

Quòd ſi verò cor conſideremus omnium viſcerum calidiſſimum, ex quo vena cava & arteria magna prodeunt, quarum poſterior mediante pulſu ſangvinem & ſpiritum calidum in totum corpus diſpergit, illud meritò ſubjectum primarium febris conſtituimus.

Hîc obiter monendum, Helmontium plurima utiliſſima & ſcitu digniſſima in chimicis tradidiſſe operationibus, quæ ſuâ laude non ſunt defraudanda, de ſede animæ verò & aliis tantùm à veritate aberraſſe, quantùm oriens ab occidente diſtat.

Cum itaque inconcuſſum maneat, cor febris petechialis principale ſubjectum eſſe, illud autem ex variis compoſitum ſit partibus, ne quis dubitandi anſam habeat, ſecundùm quasnam afficiatur, dicimus ſecundùm omnes, humores nimirum, membranas, vaſa, ventriculos, ſubſtantiam, ſpiritus, ſangvinem. Cum verò in ſiniſtro cordis ventriculo ſpiritus generetur vitalis, & ſeptum cordis potiſſima caloris naturalis ſedes ſit, illud etiam primariò affici cum Nobiliſſimo Dn. Præſide affirmamus.

Caput IV.

Subjectum adæquatum simulque vias, per quas febrilis calor in totum corpus dispescitur, indicat.

Rege apum vigente totum examen jubilat, dulcisonoque susurro lætabundum triumphat : eò malè affecto examen langvet, eo pereunte & ipsum perit.

Corde benè constituto vitæ nostræ floret salus, eo labascente, tristissima omnium viscerum facies.

Hoc in petechiali manifestum est, ubi cor maximè laborat, & *totum corpus subjectum adæquatum seu secundarium* constituitur.

Affecto corde vitæ principio, ut rectè *Galenus* docet *de loc. affect.* necesse est mox reliqua membra omnia consentire. Hoc beneficio pulsûs cum sangvine arterioso calorem febrilem malignum ad omnes corporis partes mittit, & febrem in ipsis excitat.

Una tamen pars magis afficitur alterâ, quod fit vel propter cordis viciniam, vel propter vasorum magnitudinem, quia majorem sangvinis copiam continet. Ut enim in statu naturali calor in corde maximus, in hepate minor, in cerebro minimus, ita etiam in præternaturali se habet.

MEDIUM autem seu *vehiculum*, per quod partibus communicatur, meritò sangvis dicitur, cum sine eo nec calor naturalis, nec febrilis, ad partes transmigrare possit.

VIÆ, per quas sangvis fluit ad partes sunt *venæ* & *arteriæ*. *Arteriæ* nimirum *sangvinem ἡγεμονικὸν spiritumque vitalem è corde propulsum in universum corpus impellunt*, teste *Nobiliss. Excellentiss. atque Experientiss. Domino Doctore Schenckio, Anatomico undique celebratissimo, Præceptore, Promotore, & Patrono omni honoris & observantiæ cultu devenerando, exercitat. anatom. II. lib. I. sect. 1. cap. 24.* Venæ verò sangvinem ab arteriis acceptum per anastomoses minores in majores ad venam cavam & dextrum cordis ventriculum deducunt.

Per

Per hosce canales natura spiritum vitalem & sangvinem ad omnes partes transfert. Hoc, tempore sanitatis, nutriuntur, & conservantur; tempore verò morbi per eosdem sangvinem malignitate febrili imprægnatum eædem accipiunt partes. Hæ deinde calore febrili alterantur & accenduntur.

Hanc sangvinis vitiosi communicationem egregiè petechiæ demonstrant, cum per totum corpus huc & illuc apparentes nunc adsint, nunc iterum evanescant; quando nimirum sangvini per venas iterùm miscentur, & per pulmones ad cor redeunt, ubi novam cordi excitant anxietatem.

MODUS, quo calor febrilis per arterias & venas ad totum vehitur, hic est. Cor sensim & sensim à febrili maligno incendio calefactum, calorem febrilem naturali junctum in totum corpus per aortam ejusque ramulos effundit: ἀναστομώσεις venarum sangvinem excipiunt, & per cavam venam ad dextram auriculam & dextrum cordis sinum mittunt, inde secundùm tenuiorem partem per septum, secundùm crassiorem per pulmonis vasa ad sinistrum transit, ubi denuò exaltatur & inflammatur, & per arteriam iterùm toti, perpetuâ circulatione & motu, corpori communicatur.

Calor autem febrilis à naturali non differt formâ, sed gradu & magnitudine.

ADÆQVATUM subjectum est totum corpus.

PETECHIARUM subjectum sunt extremæ partes. Constant hæ ex cuticulâ & cute. Quæritur ergò, quæ potissimùm afficiatur.

Nonnulli cutim & cuticulam simul affici putant. Verùm hisce se opponunt αὐτοψία & experientia, quando enim vesicatoria in petechiali applicamus, elevatâ & abrasâ cuticulâ nullum macularum videmus vestigium.

Grembsius lib. I. cap. VIII. de us. part. §. II. Num. 8. inter cutim & cuticulam ipsis locum assignat. Minimè absurdum videtur, *ait*, si dicamus maculas istas latere inter cutim & cuticulam, & instar rubini è cuticulâ elucere: ἐπιδερμὶς enim pellucida est cœparum membranis similis. Quamvis constet cuticulam cute esse compactiorem & densiorem, ita ut humores facilè per

iè per cutem, non verò in cuticulam transeant, & sic inter cuticulam & cutem hærere possint, tamen hoc de crassioribus & purulentis, in scabie, morbillis & aliis intelligi, non verò de petechiis, quarum materia est subtilissima, dici posse putamus.

Verum itaque petechiarum subjectum ipsam cuticulæ substantiam dicimus, & Præceptorum nostrorum excellentissimorum sententiæ subscribimus, qui uno ore ajunt, in hâc & similibus affectibus cutaneis non affici cutem, nec aliam aliquam partem huic proximam, nec humores inter cutim & cuticulam, sed in ipsâ ἐπιδερμίδος substantiâ hærere, quæ omnis generis recipit superfluitates, & pro materiei crassitie, lentore, fluxilitate & subtilitate nunc seriùs nunc ocyùs diffluere. *Magnif. Dn. Præses Dissert. anat. lib. 4. cap. 62. p. 1283. Nobiliss. Dn. D. Schenckius exercitat. anat. III. lib. 1. sect. 2 cap. 5.*

Hîc quærere quis possit, cùm venæ & arteriæ per totam cutis substantiam sint dispersæ, eaque ubique sit porosa, quî fiat, quòd non ubique petechiæ appareant? Nunquam enim aut rarissimè in facie, manibus, plantis pedum conspiciuntur.

Respondent nonnulli quòd ibi venæ & arteriæ non sint adeò insignes quàm in reliquis partibus. Verùm hos refutant variolæ & morbilli, quorum materia longè crassior quàm petechiarum, & tamen castra sua magis in facie quàm abdomine, dorso &c. locant. Accedit quòd arteria jugularis & frontalis quælibet insignis magnitudinis adsint. Et licet sint minores quàm in aliis locis, attamen non licet concludere: ergò petechiæ non possunt erumpere.

Aliam itaque rationem subesse necesse est. Nos respondemus, cutem faciei, externo aëri expositam, compactiorem & constrictiorem esse eâ, quæ vestibus contegitur, & hinc aëris injuriam minùs sentire, humoremque non facilè admittere, deinde, quod meliùs probat, ob aëris frigiditatem fugitivas petechias facili negotio repellere. In plantis verò pedum petechiæ non existunt; quia non solùm ab aëris frigiditate impediuntur, sed etiam continuis actionibus callum contrahunt, per quem petechiæ transire nequeunt.

Ca-

Caput V.

Causam immediatam seu proximam, & mediatas proximiores investigat.

ARchimedes Siculus celeberrimus rerum cœlestium scrutator, variarumque machinarum inventor, locum extra terram optabat, sperans se totam terram moturum. Si & nobis idem liceret, locum in corpore humano optaremus, ê quo tanquam è speculâ humani corporis actiones contemplari possemus, nulli dubitantes, veram nos petechialis causam detecturos. In eâ enim omnis morbi cardo vertitur, ut quò accuratiùs medicus causam & cognitionem morbi noscit, eo feliciùs remedia morbo & causæ morbificæ adversantia exhibeat.

Est autem illa multis difficultatum tenebris obnubilata, deque eâ autores valdè dissentientes, observantur.

Sunt, qui *putredinem* existimant, dicentes, putridas à malignis in eo differre, quod hæ habeant insignem profundam & sordidam putredinem, illæ verò simplicem. Verùm nisi putredo malignæ febris venenatam aliquam qualitatem in se contineat, ab aliâ simplici non nisi gradu differt: gradus autem nomen malignum non meretur. Præterea hæc febris est contagiosa, morbi verò contagiosi natura est, suum effectum, ægroto vix animadvertente, brevi assequi. Hoc à putredine, quæ sensim & sensim quasi per corpus repit, quamque manifestæ alterationes præcedunt, fieri non potest.

Nos nostram sententiam explicaturi arbitramur, *causam proximam febris petechialis esse singularem sangvinis corruptionem*. Non abs re singularem dicimus corruptionem; multas enim novimus esse corruptionum differentias, alia enim est corruptio ex contagio pestilentiæ, quæ hominem subitò interimit, alia in scorbuto, quæ paulatim sese prodit, alia in scabie, alia in variolis, alia in lue venereâ, alia etiam corruptio in febre petechiali, quarum rationes humana imbecillitas detegere

non poteſt, corruptio hæc dum fermentationem experitur ſe propagat, ut enim parva fermenti quantitas totam maſſam alterat, ita etiam vitioſa diſpoſitio ſubinde plures humores, alterat & corrumpit.

Cauſa mediata proximior ſangvis eſt tum in CONSTITUTIONE plethoricâ, cum ſecundùm naturam ſe habens, purus, floridus, juſtam non obſervans συμμετρίαν, ſecedit à propoſitione, tùm in CONSTITUTIONE CACOCHYMICA, cum qualitate peccat.

Omnes quamvis humores quocunque tandem nomine veniant ſive naturales, ſive excrementitii, ſive præternaturales cauſæ mediatæ hujus febris ſunt, inter eos tamen bilis excellit. Hæc ſi abundet, ebullitiones & accenſiones procurat, quod ex misſione ſangvinis in febribus malignis & petechialibus colligitur, quæ copioſam aduſtæ & corruptæ bilis materiam exhibet.

Hîc non excluduntur ſubtiliores ſangvinis partes, ſpiritus dicti. Hi quamvis ob perpetuam motionem, aëream & ſimplicem ſuam ſubſtantiam putredini ſeſe non facilè ſubjiciant, ob ſummam tamen ſangvinis corruptionem in conſenſum dum trahuntur, turbantur & occulto contagio integritatem ſuam amittunt.

EFFICIENS petechiarum *cauſa* eſt *facultas expultrix*, quæ in omni morbo materiam peccantem è centro, vel ab internâ parte ad corporis ambitum protrudit, & à re moleſtâ corpus liberare cupit, ab eâ vel quantitate, vel qualitate, vel utroque irritata.

Hîc ardua oritur quæſtio, an nimirùm petechiæ criticè an ſymptomaticè in febre hac erumpant?

Nos ut huic nodo gordio gladium ſtringamus, dicimus eas omninò criticè erumpere, ſi materiæ quodammodò coctæ indicia adſint, & febris jam per aliquot dies duraverit, ibi enim natura ſublevationem & liberationem tentat; Contra verò ſymptomaticè erumpunt, ſi in principio appareant, tum enim natura ſi expellit coacta id facit.

Sed OBIICITUR: bonæ criſis conditio eſt, ut notabilis aliqua fiat evacuatio, iſta autem in petechiis non accidit, quoniam

niam per maculas istas materiæ copia, quæ in venis est, non expellitur.

Resp. Quamvis non materiæ, qualitatis tamen malignæ magna evacuatur pars, præsertim si maculæ sint copiosæ. Si enim malignitas illa alteri per contagium communicari, & per poros ingredi potest, quid obstat, quò minùs etiam per poros stimulante imprimis naturâ iterùm exspiret.

Pro nostrâ parte militantem habemus experientiam, quotiescunque enim petechiæ iterùm evanescunt & regrediuntur, toties cordi novam & insignem non solùm molestiam, sed mortis etiam pariunt periculum, quod certè non fieret, si earum evacuatio nullius esset momenti.

Obiicitur ulteriùs, magnam petechiarum copiam sublevationem non afferre, nisi alia accedat evacuatio, sed potiùs materiam in venis & arteriis ebullientem portendere.

Resp. Concedendo eas non omnem absolvere paginam: nec semper etiam materiæ peccantis copiam præ se ferre. Si portendat, simul etiam naturæ robur indicat. Malumus nos petechiarum abundantiam quàm paucitatem.

Caput VI.

Causas mediatas remotiores ex rerum naturalium classe recenset.

Quoties felicissimum Protoplastarum ante lapsum in paradiso statum recordamur, toties, eos abjectissimi mali morsu summam perdidisse felicitatem, seque & nos omnes innumeris morborum generibus exposuisse, ingemiscimus. Quælibet enim hominis pars, quæ in statu integritatis ab omni morbo erat libera, nunc ipsa sibi malum accersit.

Ex Rerum Naturalium numero sese offert Temperamentum. Hoc si calidum & humidum sit, dissipabilia reddit

dit corpora, quantumvis τὸ θερμὸν καὶ ὑγρὸν principia sint naturæ maximè convenientia, & iis natura magis delectetur quàm sicco, inque iis opes suas recondat quàm maximè, nihilominus corruptionem & putredinem facilè admittit, & petechiali fores aperit.

ÆTAS nulla ab hâc febre inducias impetrare potest. Omni ætati, magis tamen juvenili insidias struit, cùm hujus corpora ob diffluentem humiditatem corruptioni magis obnoxia, novit.

SEXUS nullam habet prærogativam: Sine ullo discrimine viros & fœminas invadit. Interdum solis mulieribus ἐξανθήματα infesta, ἄρσενι ὐδενὶ nulli viro,

HABITUS corporis RARUS & PORORUM APERTIO non sunt silentio prætereunda; ea enim ut omnibus contagiosis morbis, ita etiam petechiali viam monstrant.

CAPUT VII

Rerum non naturalium classem scrutatur.

ILlam dum ingredimur, primo loco AEREM offendimus ad τὰ ἀναγκαῖα qui refertur, ἀδυνάτον γὰρ αὐτῷ μὴ πλησιάζειν, nam in eo perpetuò versamur, sine eo vix momentum aliquod esse possumus. Calidam & humidam dispositionem ad generandas febres malignas aptissimam *Galenus 1. de diff. febr. 4.* censet. Corporeis ANIMATIS ATOMIS venenatis si sit prægnans, non solùm petechiales generat febres, verùm etiam ipsam pestem. Hoc pluribus explicat *Athanasius Kircherus, vir consentientibus omnium suffragiis, absque omni titulorum ambage magnus, & omni encomio major.* Docuit experientia, in viciniâ hâc ægris mortuis, ex maculis innumerabiles erupisse vermiculos, vix microscopii vulgaris ope visui occurrentes.

AB ANNI TEMPORIBUS, vere, æstate, autumno mutatus aër nunc occurrit. Ut enim vere adventante in macrocosmo terra, quæ hyeme quasi mortua jacebat, iterùm reviviscit, &

vapo-

vapores malignos extrudit, ita etiam in microcosmo naturâ, vere adventante, omne expellit noxium, quod durante hyemis frigiditate propter pororum obstructionem evacuare non poterat. Hinc oriuntur omnis generis febres, à quibus petechialis non excludenda.

ÆSTAS nimio æstu corpora calida reddit. Inde omnis generis putridæ oriuntur febres, teste *Hippocrate lib. 3. aphor. 21.*

AUTUMNUS fidem sanitatis ingenitâ malevolentiâ aliàs sollicitans, ad febres malignas & acutas proclivis est, contumaces parit obstructiones, vehementissimarum febrium generatrices, transpiratione enim impeditâ vapores cumulantur, qui à venis & arteriis iterùm absorbti massam sangvineam corrumpunt. Hinc *Hippocrates*: ἐν φθινοπώρῳ ὀξύταται αἱ νοῦσοι θανατωδέσταται, *autumno morbi acutissimi atque exitiales maximâ ex parte, lib 3. aphor. 9.*

COELESTIUM SIDERUM influxu alteratus aër occasionem præbere potest. Vultus hujus mundi inferioris subditi sunt configurationibus cœlestibus, non solùm obœdientiâ generali sed etiam speciali. Si ♂ sub ☉ sit in VI. aut VII. loco in signis igneis, astrales fiunt petechiales.

CAPUT IIX
Aëris contagiosi naturam explicat.

TOTA SUBSTANTIA ὅλῃ τῇ οὐσίᾳ inexplicabili modo alteratus aër, per contagium propagare potest noxiam hanc luem in vicina corpora. Hujus DEFINITIONEM contagii talem damus.

Contagium est inquinamentum vitiosum, occultum, è corpore ægrotante emissum, in simile corpus similem morbum seu affectum producere aptum. Ex hâc definitione contagii naturam, & quid contagium sit, & quomodò corpus afficiat, lubet paulò altiùs inspicere.

Ad contagium requiritur primò corpus contagiosum, quod alteri communicat, secundò, quod communicatur, ipsum

μίασμα, tertiò aliud corpus diſpoſitum, quod contagium recipit.

I. Corpus contagioſum dicitur, quod ægrotat morbo tali, quem alteri communicare poteſt.

II. Illud autem quod communicatur, non eſt ipſe morbus, quo alter laborat, ſed tantùm qualitas morbi, & tale quid quod aliud corpus diſpoſitum eodem morbo corripere poteſt. Græci *νοσηρὰς ἀποκρίσεις, ἀποῤῥοίας καὶ σπέρματα* Latini *inquinamenta, ſemina, ſeminaria* vocant. Ut enim ſemen è corpore vivente elicitum aliud corpus ſibi ſimile generat, ita etiam contagioſus humor, vel vapor è corpore morboſo emiſſus, atque in aliud corpus diſpoſitum receptus, ſimilem ſibi affectum inducit, & ſicut parva fermenti quantitas totam maſſam fermentare poteſt, ita etiam minimus vapor malignus, contagioſus, per poros immiſſus, totam maſſam ſangvineam corrumpere & petechialem inducere poteſt.

III. Corpus requiritur diſpoſitum: aliàs enim omne corpus contagium reciperet. Tuta quodammodò ſunt corpora ſicca, compacta & benè conſtituta, quæ ſcilicet nullas vel paucas habent ſuperfluitates. Apta verò quæ calida, humida, & laxa, qualia *puerorum, virginum, gravidarum*. Aptisſima, quæ vitioſis abundant humoribus.

Contagium petechiale Occulta agit proprietate, & magis huic quàm illi individuo inſidiatur. Sic conſangvinei magis habent, quod metuant, quàm qui nullam ſangvinis cognationem agnoſcunt. Inter hos parentes, liberi, fratres, ſorores, magis contagio afficiuntur, quoniam major naturæ proprietas & ſimilitudo. Sic obſervatum eſt ab autoribus, nonnullos impunè cum infectis, quibus nulla ſangvinis cognatione erant devincti, converſatos, poſtea à conſangvineo infecto levi occaſione etiam infectos fuiſſe. Hinc videmus naturæ cognationem, ſpirituum & humorum conſenſum multùm præſtare poſſe.

Viae per quas contagium corpus ingreditur plures ſunt, atomi contagioſæ per aërem, os, nares, poros univerſi corporis attrahuntur, totum enim corpus eſt perſpirabile. Deinde

per

per vaſa venoſa & arterioſa, & eorum orificia hiantia ad cor referuntur, & ſic totum corpus inquinant.

Hîc non immeritò quæſtio ventilanda: *Mortuane an viventia corpora magis inficant?*

Quæſtio hæc ab utraque parte defenſores habet ſtrenuos, & rationes prægnantes. *Nos* ſalvâ aliorum ſententiâ cum *Laurentio Jouberto lib. de peſt cap 3.* majus à cadaveribus peſte interfectorum, quàm viventibus, contagii imminere periculum, & longè periculoſiùs in loco peſte ſublatorum, quàm etiamnum laborantium converſari, arbitramur, quoniam à viventis corporis calore nativo, & alexipharmacis venenum quodammodò hebetatur. In cadavere verò venenum calore nativo non reſiſtente ferociùs graſſatur, & putredo venenum magis magisque auget.

Conſentientes adſunt plurimi Medici, qui cadavera peſte ſublatorum quamprimùm terræ mandanda, & quidem altiùs effodienda ſepulchra jubent.

Accedit quod experientia teſtetur, ſæpè aperturam ſepulchri peſte interfectorum priorem malignitatem, quæ ante multos annos graſſabatur, iterum introduxiſſe.

Accedit & hoc, quod ſæpè belli ſtrages, aërem aliàs ſatis ſalubrem facili negotio contaminarit & malignitatem quandam peſtilentialem induxerit, ob cadavera terræ non ſepulta: Si itaque cadavera, quibus nulla antea aderat malignitas, illud efficere poſſunt, multò magis ab iis illud expectandum, quæ malignitate tali periere.

Qui CONTRARIUM defendunt autoritatem Rondeletii nobis objiciunt. Hic *de febr. peſt.* ſe diſſecuiſſe aliquando corpora peſte mortuorum, ait, multis ſpectantibus ſtudioſis *ſine damno*: Item, *Henrici Florentini*, qui *Jacobum Bontium* Med. D. Lugduni Batavorum adhibito Chirurgo *Daniele Weiſens.* cadaver cujusdam, qui exanthematibus peſtilentibus laborarat, tutò diſſecuiſſe, refert.

Quod *Rondeletium* attinet ipſe in ſuis fatetur ſcriptis, ſibi ignotum inter ſectionem fuiſſe, an cadavera illa peſte interfectorum fuerint, neque addit, unde poſteà illud reſciverit.

Bontii exemplum particulare eſt, ideoque noſtram ſententiam non deſtruit.

II. Regerunt, poros in demortuis concidere, nec ampliùs quid recipere, & per conſequens nec exſpirare.

Reſp. concedendo poros concidere, nec ampliùs recipere, eos autem nihil exſpirare planè negamus. Probamus ab odore, qui certè exſpirare non poſſet, ſi pori tàm arctè clauſi eſſent. Sæpè tantus fætor eſt cadaveris, ut ingens aëris ſpatium compleat.

III. Inſtant, licet halitus per ſpiramenta reliqui corporis egrediantur, virus tamen non tàm vehemens & potens eſt, quàm in viventibus.

Reſp. negando, ubi major putredo, ibi etiam major malignitas & virus potentius.

IV. *μίασμα* corpus eſt ſubtile, quod cum ſpiritibus in agonizantibus ſenſim & ſenſim evaneſcit, & in auras abit.

Reſp. Minimam partem cum ſpiritibus exſpirare, & ſi concedere vellemus, majorem partem cum iis evaneſcere, certum tamen eſt, reliquam partem à putredine denuò augeri.

V. Animalia venenata viventia magis nocent quàm demortua, quod videre licet in bufonibus exſiccatis, lacertis & aliis inſectis venenatis, quæ ſine damno attrectari posſunt.

Reſp. nullam eſſe convenientiam inter iſta animalcula & homines febre malignâ interfectos. Hæc enim animalia, ſi ab homine aliquo occidantur, omne venenum ad nocendum hominem in lucta illa efflant, & quod reliquum eſt à calore ſolis exſiccatur, & extrahitur. In homine verò demortuo *μίασμα* ab humoribus & putredine magis augetur.

Alia ſeſe nobis offert Quaestio, an nimirum febris petechialis in veſtibus, linteis, literis & aliis rebus reſidere, & alterì communicari posſit. *Nos* de veſtibus, & linteis nulli dubitamus, cum ea ſudorem & ſpiramenta ægri immediatè excipiant; de literis idem videtur judicium, cum in ejus ſubſtantiam venenoſus vapor ſeſe facilè inſerere, & ſuo tempore iterum exſpirare posſit.

Ca-

Caput IX

Motum & quietem somnum & vigiliam indagat.

Motus Et Quies, quæ inter res alias sanitati maximè utiles, summeque necessarias meritò recensentur, quot quæso pravos non producunt affectus immoderatè & intempestivè instituta. *Motus* violentus quovis tempore nocet, præsertim à cibo assumpto statim inchoatus, ἡμιεφθὸν *crudum* chylum dum in venas lacteas præcipitat. Immoderatæ & continuæ corporis agitationes & exercitia vires prosternunt, corpus languidum reddunt, calorem nativum extingvunt, & appetentiam debilitant. Humores, qui erant ἐν στάσει καὶ συμπήξει, dum fundunt, & διαχώρησιν *segregationem* inducunt, διαχύσει hâc totum replent corpus. Hinc tandem febres oriuntur. *Quies* continuata multas parit cruditates, quæ obstructiones, vitiosorumque humorum in corpore copiam procreant, totumque corpus reddunt ἐκτεθηλυσμένον *effœminatum*. Hinc eruditioni quidem, non verò sanitati consulunt, qui studiis nimiùm incumbendo, exercitia corporis contemnunt. Quantùm eruditioni addunt, tantùm sanitati detrahunt. Moderatum exercitium excitat erigitque nativum ignem ad subigendos crudos succos. *Conring. dissert. de Germ. corp. habit. antiq. & nov. pag. 69.*

Somnus & Vigiliae multa commoda præstant. Somnus Moderatus & justo tempore, & debito intervallo institutus nempè nocturno, facultatem vitalem & animalem reficit, sensus tàm internos, quâm externos roborat, spiritus deficientes reparat, tumultuantes demulcet, calorem viscerum debilitatum auget, distributionem nutrimenti promovet, corpus humectat ac nutrit. *Hippocrates lib. 2. de rat. vict. acut.* Quòd si verò in excessu peccetur, & consvetudo naturali fundata jure dormiendi de nocte, diurno pomeridiano somno violetur, crudi humores cumulantur, calor corporis hebetior, spiritusque

torpidi redduntur, omnes actiones langvidiores & tandem febres sequuntur.

De Vigiliis idem est judicium. Illæ vaporum excrementitiorum exclusionem in toto corpore juvant, stuporem torporemque sensibus excutiunt, modum verò excedentes spiritus corporisque vires dissolvunt, cruditates cumulant, coctionem turbant, bilem accendunt, & calidorum morborum causæ sunt, quatenus nimirùm spiritus continuò agitantur, & humores æstum concipiunt.

Caput X
Cibum & potum complectitur.

Cibus Et Potus quid in omnibus præstent morbis, si vel quantitate vel qualitate peccetur, etiam vetulis notum. *Quantitate* peccant, cum non ad satietatem, sed ad nauseam assumuntur. *Qualitate* peccant vel manifestâ, si sint nimis frigidi, humidi, calidi, vel *occultâ*, si venenatam in recessu habeant qualitatem. Huc referuntur omnis generis tubera, caro vaccina decem vel plurium annorum, ut & bovis jugatorii, qui omnes vires, imò ipsam ferè animam terræ subjugavit. Caro ferina, rancida, multis in delitiis, à nobis rejicitur, cum facilè in ventriculo putrescat, pravis succis sangvinem corrumpat, & febres malignas generet, ut etiam alii cibi putridi assumti variorum morborum causæ esse solent, & non rarò ipsam pestem, affectusque epidemios excitant.

Potus multùm facit negotii, si non sit benè defecatus. Ut etiam Cerevisia nebulosa, imprimis ea, quæ, in loco quieto paulatim seposita, multas deponit feces, quibus si non totum musæum, aliquam tamen ejus partem illinire posses. Hæ feces chylum impurum reddunt, sangvinem corrumpunt, obstructiones, venarum & arteriarum anastomoses occludendo, pariunt, & febres malignas inducunt. *ἡ κυπτπελομαχία certamen poculorum*, cum Bacchi & Cereris, vini & cerevisiæ calyces in are-

arenam & Martium deſcendunt campum, dividitur & pacatur ſuperveniente inſidioſâ febrium cohorte.

Caput XI

Excreta & retenta, ut & animi affectus conſiderat.

Excreta Et Retenta, ſi non reſpondeant juſtæ menſuræ, hujus febris cauſa exiſtunt. Omnis generis immodicæ excretiones homines interdùm ad hanc febrem deducunt. Provida natura excrementorum non ignara, cuilibet viam propriam dicavit, terreſtriores per alvum ſordes, & quidem per inteſtinum rectum deponit, bilioſos & ſeroſos humores per veſicas educit, aquoſas ſuperfluitates per poros cutis emittit, ſangvini ſuperfluo in fœminis menſes, in viris hæmorrhoides, nares deſtinavit. Quòd ſi verò hæc excrementa retineantur, vel unum, vel alterum tranſitum non habeat, febrem petechialem inducunt.

Animi παθήματα in febribus multùm valent, magnas in corpore mutationes efficiunt, illudque ad febres diſponunt, dum arctisſimum illud fœdus, quod animæ intercedit cum corpore, turbant.

ὀξυθυμίη, *ira*, autore *Hippocrate 6. epid.* ἀνασπᾷ, καὶ καρδίην, καὶ πνεύμονα εἰς ἑωυτὰ, *ira retrahit cor, & pulmones in ſeipſa*, ſive erumpat, & conceptum virus evomat, ſive concludat & retineat: ſpiritus in corde & arteriis inflammat, ſangvinem in venis concitat, humores exagitat, morboſque inducit lethales.

Maestitia Et Timor totum corpus alterant, temperamentum mutant, & crudos humores augent.

Terror ſpiritus vitales & ſangvinem arterioſum ad cor rapit, qui ſi diutiùs in eo remaneant, inflammationem & febrem inducere poſſunt

Ca-

Caput XII
Differentias proponit.

I. Generis ratione nõnunquam putredo ſuperat malignitatem, nõnunquam ſeceſſum facit à putridis, & ad malignas propriùs accedit. Cùm Putredo Superat Malignitatem, ſecundùm putridæ febris naturam evadit vel Continens, quæ, nullas inſignes mutationes paſſa, æqualiter affligit perpetuò: vel Continua evadit Periodica, continuò quidem durans, ſed certis periodis, vel ſingulis, vel alternis exacerbatur diebus, & nonnunquam tertianam mentitur, ſæpè tamen contingit, ut natura oppreſſa in motibus his ordinem certum & determinatum ſervare non valeat, hinc erraticæ oſtendit ſpeciem. Cum Malignitas Putredini æqualis, febris hæc minoris eſt vehementiæ, & putridæ naturam æmulatur. Cum malignitas major, febris epidemia fit, & ut plurimùm mitior, contagium majus.

II. Subiecti ratione, in aliâ ſolida cordis ſubſtantia vehementisſimè afficitur, in aliâ mitiùs. Nonnunquam pulicu-lares maculæ multæ ſunt, per totum corporis diſperſæ ambitum, nonnunquam in dorſo potisſimùm ſunt conſpicuæ. Non datur propriè dicta hectica petechialis.

III. Causae ratione, totuplex eſt, quot enumeratæ cauſæ.

Caput XIII
Doctrinam proponit de ſignis.

Διάγνωσις ἐξανθηματομαντικὴ tantò magis neceſſaria, quò verior Galenica & Trallianæa ſententia: *ὁ ἄριστα γνοὺς, ἄριστα θεραπεύει, meliùs agnoſcens, meliùs medetur.*

Difficilis tamen eſt, imprimis in principio. Idem evenit petechiali febri, quod naſcentibus herbis. Hæ non niſi à perito hortulano agnoſcuntur orientes. Τοῖς δὲ ἄλλοις, τῆς ἀνί-

χοντα,

χοντα, τῆς γῆς φυτὰ ἀγνῶσιν ἐστιν. *Aliis autem primum terrâ nascentia incognita sunt.* Inde contingit nonnunquam, ut medici etiam periti ad ægrum petechialem vocati, malignam hanc febrem habeant pro benignâ, aut ardente ſimplici, magno ſalutis ægri cum detrimento. Febris hæc eſt παλίμβολος, ſpeciem levis præ ſe ferens momenti, at mel in ore, fel in corde gerit. Facilem ſe præbet in principio, progreſſu temporis alit vires, & nullum macularum profert indicium, antequam paravit exitium.

Quamvis autem fraudulenta ſit hæc febris, in conſiliis tamen ipſi contingit, ut latere neſciat, aut peritorum oculis ſe ſubtrahat.

Dividuntur ſigna hujus febris, in *propria* & *communia*.

Propria ſunt, I. Essentialiter Inhaerens Calor, conſideratus ſecundùm qualitatem & motum. Calor in toto corpore non adeò vehemens eſt, quàm in putridis benignis. Nam etſi in ardente febre calor ſit maximus, tamen ſi eundem & ſymptomata cum ardente ſimplici conferas, tum calor erit pro naturâ ejus febris minùs mordax, ſymptomata verò pro ratione caloris graviora.

Contagiosa etiam ejus centro inhærens ratio febrem hanc determinat, & ab aliis diſtingvit. Sæpe enim non ſolùm unam domum, ſed totam etiam urbem, imò nonnunquam totam regionem invadit, ideoque etiam morbis epidemicis meritò annumeratur. Contagium hoc eſt accidens petechialis inſeparabile, unicus enim homo eâ laborans, totam inficere poteſt civitatem.

II. Causae prægreſſæ antè enumeratæ eandem detegunt.

Actiones Laesae: imprimis *inſignis virium debilitas, ſine causâ manifeſtâ ſtatim à principio major, calori febrili non reſpondens.* Hoc principale & inſeparabile ſignum eſt, ſine hoc febres malignæ eſſe nequeunt, quoniam ſingularis ſangvinis corruptio, vel ſi mavis maligna qualitas cordis ſubſtantiam primis ſtatim diebus eſſentialiter afficit.

Pulsus Frequens, *parvus & debilis*, cum hâc eſt conjunctus. Sæpe chamæleonte mutabilior, & in principio à ſano-

rum pulſu interdum vix diſtingvitur. Quòd ſi verò medicus inſignem virium ſine causâ manifeſtâ imbecillitatem ponderabit, ipſum majus in receſſu gerere malum, quàm in fronte promittere, facile cognoſcet, & de petechiali ſuſpicari poterit.

EXCRETA. *Urina* plerumque ſanorum ſimilis apparet, quæ etiam experientisſimos medicinæ practicos fallere poteſt.

IV. SIMILITUDO fontem dignotionis etiam conſtituit. Si quis ſimilem febrim, iisdem ſtipatam ſymptomatibus viderit, & hanc talem eſſe edicere poteſt.

COMMUNIA, quæ in aliis etiam febribus malignis reperiuntur, plurima ſunt. 1. *capitis gravitas*. 2. *cordis anxietas*. 3. *corporis jactatio*. 4. *gravis reſpiratio*. 5. *tusſis ſicca*. 6 *ſenſuum hebetudo*. 7. *cibi faſtidium*. 8. *diarrhœa*. 9. *hæmorrhagia narium*, & tandem *petechiæ*, ſeu maculæ diverſorum colorum pro ratione humoris prædominantis, morſibus pulicum ſimiles, per totum ferè corpus diſſeminatæ, quæ nomen noſtræ febri petechiale impoſuêre, quæ ſemper eam comitantur, adeò ut ſine illis non petechialis, ſed maligna tantùm dicatur.

Sunt autem petechiæ maculæ, varii, lividi, rubri, nigri coloris, morſibus pulicum ſimiles, in cuticulâ præcipuè circa dorſum, collum, pectus, & in brachiis apparentes.

Græcis ἐξανθήματα *efflorescentiæ*, quòd florum inſtar in cutis ſuperficie diſperſæ ſint, dicuntur. *Actuarius* hoc confirmat, dum exanthemata pulicum morſibus ſimilia emergere teſtatur. Nomen verò ἐξανθημάτων univerſale eſt, & omnes puſtulas, maculas, papulas, complectitur.

CAPUT XIV
Signa, quibus petechiæ ab aliis maculis diſtingvuntur, exhibet.

IN febribus peſtilentibus interdum maculæ conſpiciuntur. At hæ non niſi in agone apparent, viribus ſummè proſtratis, & ple-

& plerumque pulicum morſibus majores, ut referant vibices, ſeu livores flagellis inductos, & deteriores habentur. Aliquando verò ampliſſimæ ſunt, & partes integras, magnamque corporis partem, brachia nimirùm, crura vel dorſum occupent: tumque partes illæ rubore infectæ apparent, qui intra paucas horas ſæpe evaneſcit, atque iterum revertitur.

Ungaricam febrem interdum, non tamen ſemper comitantur petechiæ. Hæc tamen à communi petechiali febre diſtingvitur, *intenſo, continuo, & ferè intolerabili dolore capitis*, ut indè etiam vulgari nomine die Haupt-Kranckheit vocetur. Maculæ inſuper iſtæ in petechiali noſtrâ in artubus & corpore copioſæ, in facie raræ obſervantur, contra verò in Ungaricâ copioſæ in facie apparent.

1. A Variolis differunt petechiæ, quòd hæ ſint puſtulæ albicantes, ſanioſæ, verrucarum inſtar elevatæ, iis, quæ ab ambuſtis proveniunt, quodammodò ſimiles.

2. A Morbillis diſtingvuntur, quòd illæ ſint maculæ rubræ, magnitudinis ferè granorum milii, vel lentium, cutem variantes, non tamen eam pertranſeuntes, aut adeò notabiliter elevantes, cum cutis aſperitate per totum corpus ſparſæ.

3. A Maculis Hepaticis ſeceſſum faciunt. Illæ ſunt maculæ fuſcæ, ex flavo nigricantes, palmi magnitudine, ingvina inprimis & pectus obtegentes, cum cutis quâdam aſperitate, quæ ſquamas & furfures quaſi emittit, quæ tamen non uno loco hærent, ſed hinc inde diſſeminantur & modò evaneſcunt, modò iterùm emergunt.

4. A Scabie longo disſident intervallo, quòd hujus puſtulæ ſint purulentæ, elatæ, cum pruritu in manibus præſertim & pedibus à petechiis planè diverſæ.

5. A Naevis Mutter-Mahl / Anmahl diſcriminantur. Hæ ſunt maculæ diverſi coloris, nunc rubri, nunc fuſci, nunc alterius, variâ figurâ jam in hâc, jam in illâ corporis parte conſpicuæ, nunquam evaneſcentes, à matris imaginatione, à terrore vel fruſtratæ rei deſiderio ortæ.

6. Ab Erysipelate diſtingvuntur pruritu, ardore, & magnitudine. Eryſipelas enim brevi temporis ſpatio palmi ma-

gnitudinem ſuperat: deinde etiam, quòd hoc unum tantùm locum occupet, non totum corpus, quamvis in omnibus corporis partibus adeſſe posſit.

7. A MACULIS SCORBUTICIS, quæ circa crura, brachia, pectus & thoracem viſuntur, in principio rubicundæ & pulicum morſibus non adeò disſimiles, hinc purpureæ & ſublividæ apparent, & tandem ad nigrum colorem accedunt, modò evaneſcunt, modò iterùm erumpunt, quæ plerumque primo aſpectu à barbitonſoribus pro petechiis habentur, facilè à peritis diſtingvi queunt.

8. A PULICUM MORSIBUS colore & puncto diſtingvuntur; hi enim ſemper ſunt rubicundi, & punctum aliquod morsûs indicium in medio habent, quod in compresſione cum reliquo humore non evaneſcit. Petechiæ evaneſcunt quidem, ſed iterùm redeunt, nullo morsûs veſtigio apparente.

9. A LENTIGINIBUS **Laub-Flecken** differunt. Hæ lentes colore & magnitudine referunt, & maribus, & fœminis, magis tamen fœminis communes. Præcipuè in facie, interdùm in manibus, brachiis & thorace ſuperiore, aëri magis expoſito, diſſeminatæ, ſine omni moleſtiâ nobis inſciis æſtatis tempore apparent. Hyeme ob aëris frigiditatem recedunt, à ſangvine aduſto & ad cuticulam transmiſſo proveniunt. Hinc etiam vocari ſolent **Sommer-Flecke oder Sommer-Sproſſen.**

Ab hiſce omnibus, exceptis morbillis, febre diſtingvuntur petechiæ.

CAPUT XV

Prognoſin examinat.

ARtem medendi variis difficultatum labyrinthis implicitam, plurimis ſcrupulis & nodis gordiis ſcatere, veneranda antiquitas olim indicare voluit, dum prægrandem Æſculapii templo ſcipionem infinitis nodis inſignem appoſuit. Talis ſcipio doctrinæ *τῶν μελλόντων δηλωτικῶν σημείων, ſignorum, quæ futura ſignificant*, præfigi poteſt.

Difficillima eſt prædictio. *Τῶν ὀξέων νοσημάτων οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσιες, autore Hippocrate 2. aphor. 19.* Prognoſis

gnosis febrium acutarum incerta est, adeò, ut nihil de earum eventu possit certi constitui, donec manifesta victoriæ alterius partis naturæ scilicet vel morbi indicia appareant; quod non solet contingere nisi circa finem statûs, aut principium declinationis, ideò prudens medicus differre ac suspendere judicium suum debet de morbi eventu in principio & augmento.

Febris petechialis, quò magis blanditur, eò magis nocet; sæpe cùm omnia pacata & tranquilla apparent, mors vitæ pulsat fores, sæpe morti vicini præter exspectationem evadunt, quoniam materia tenuis cum malignitate occultâ conjuncta, quæ libera hinc inde in corpore nostro vagatur. Huc multùm conferunt, æger delicatulus & minimè obsequiosus, astantes conniventes, morbus gravis superveniens, & tandem medici fortuna.

Ex hisce periculosissimum prognosticum colligitur, ut medici gloria sæpe cum infamiâ pari passu ambulare videatur. Tantò majori industriâ expendenda prognostica signa, secundùm tres usitatos fontes. Et quidem

I. SALUTIS ET MORTIS. Si quis morbus δυσβόηθος, *irritæ medicationis* & periculosus, certè petechialis est. Magnus morbus est ratione facultatis & malignitatis. Quò major ratione διαθέσεως, eò pejor. Non tamen desperandum. Plurimos sæpiùs cum periculosissimis signis evasisse, alios verò cùm salutaribus sublatos esse experientia testis est.

VITALES ACTIONES, si intensè lædantur & PULSUS sit mali commatis, langvidus & parvus, tremulus, intermittens in uno vel duobus ictibus, (nisi sit talis ægro naturalis) majus periculum, & salus angustis inclusa est cancellis. Cùm benigniora adsunt symptomata, ut cùm pulsus sanorum similis, majus periculum imminere credendum est.

NATURALES actiones à statu naturali magnam si fecerint secessionem, ominosum. *Ἀνορεξία τοῦ ξηροῦ καὶ ὑγροῦ, καὶ πληρώσεως ἔφεσις κακόν. Inappetentia sicci & humidi, & implendi desiderium abolitum*, pravum signum. *Δίψα παραλόγως λυθεῖσα, κακόν. Sitis præter naturam abolita, malum.*

ANIMALIUM actionum lapsus, delirium, memoriæ, somni abolitio, prava. RESPIRATIO libera, decubitus sanorum similis, bonus. CONVULSIONES, licet leves, & SINGULTUS malum portendunt. RIGOR per intervalla apparens, ægrum fortunæ ludibrio expositum innuit.

EXCRETIO per URINAM injussa prava. *Urina nigra, pinguis & oleosa* certum adesse exitium docet. Admodùm copiosa, quam febris imminutio non sequitur, colliquationem totius indicat.

ALVI DEIECTIONES, à naturali statu, ratione quantitatis, qualitatis, conjunctorum, bilis vel vermium, & modi excretionis, deflectentes, exitiosæ.

EXCREMENTA NIGRA FOETIDA ægrum in mortis jam hærere faucibus demonstrant, magna enim adest humorum corruptio & putredo, quæ à debili vinci nequeunt naturâ.

VOMITUS impermixtæ bilis pessimus.

Ἐφίδρωσις SUDATIO pauca semper funesta. SUDORES frigidi nullam ægro restitutionis spem relinquunt. *Hippocrates. 4. §. 37*, & *lib. 1. præsag. 29.* Optatum verò pollicentur eventum *sudores in diebus criticis emissi*, naturam enim petechiali palmam disputare significant.

Στάξις τῶν ῥινῶν *parca narium hæmorrhagia* suspecta: larga criticè proveniens sive per nares, sive per hæmorrhoides, seu per menses ægroto & medico victoriam prænunciat.

MACULAE copiosè die decimo, duodecimo & aliis prorumpentes, præsertim si unum vel alterum coctionis signum adest, vitæ potiùs quàm mortis sunt præcones: quò magis à corde disseminantur, eò salubriores habendæ, notant enim vitalis facultatis adesse robur.

Maculæ latæ, lividæ, nigricantes, cum virium debilitate conjunctæ, magnum subesse periculum indicant.

CAUSARUM ratione, petechialis à pravo victu securior, quàm à contagio maligno, grassante epidemiâ constitutione.

ÆGROTI obœdientia, & in medicum & medicamentum fiducia huic animum & spem, illi vitam dabunt.

Si

Si æger alius ante annum eâdem febre detentus, iisdem infeſtatus ſymptomatibus evaſerit, de hoc idem pronunciare poſſumus, & contrarium de alio.

Caput XVI
Prædictionem longitudinis & modi eventûs rimatur.

SI vires non adeò ſint proſtratæ, maculæ rubræ vel benignioris coloris, intra decimum quartum diem more acutorum cesſabit.

Modus Eventus varius. Febris petechialis interdum ſolvitur criſi per hæmorrhagiam narium, ſudorem, urinam, interdum de loco in locum movetur materia à parte nobiliori ad ignobiliorem ſalutari eventu. Abſceſſu finitur petechialis, in parte minùs principali, quando materia colligitur. *Nobiliſſ. Dn. Præſes* febrem petechialem per apoſtema in teſtibus terminari aliquoties obſervavit.

Caput XVII
Curationem proponit & primò methodum medendi detegit.

VAſtisſimum, qui pernavigant pelagus, ſævisſimoque committunt aquiloni ratem, facilè Scyllam & Charybdim, omnesque Syrtes evitabunt, ſi pyxidem intueantur nauticam. *Nos* periculoſisſimæ petechialis curationem aggreſſuri, uſitatam methodum, pyxidem noſtram nauticam intuebimur, ejusque ductu plurimos gravisſimorum ſymptomatum ſcopulos, ipſumque mortis periculum declinare conabimur.

Curatio debetur petechiali febri curabili & incurabili. De illâ nemo diſſentit. Hanc prognoſtico relinquendam multi ſtatuunt. *Μὴ δεῖ ἐγχειρεῖν τοῖσι κεκρατημένοισιν ὑπὸ τῶν νοσημάτων, εἰδότας, ὅτι ταῦτα οὐ δύναται ἡ ἰητρική. Non decet adhibe-*

bibere manus iis, qui à morbo victi sunt, cùm id medicinam non posse præstare probè constet. Ita Hippocr. lib. de arte. Verùm non omnem desperatorum curationem his verbis excludit, sed eam solùm, quæ instituitur sine prognostico, astantibus indicato.

METHODO nititur, & indicationibus desumptis à rebus tribus secundùm, & præter naturam. In compendio rediguntur ad indicationem curatoriam, præservatoriam & vitalem.

CURATORIA petechiali ejusque causæ immediatæ bellum indicit, intemperiem calidam refrigerantibus alterat, & malignitatem alexipharmacis expellit, seduloque an malignitati, an calori priùs occurrendum, ponderat; sæpè enim malignitas dominium obtinet, & facultatem vitalem obruere conatur, ideoque ea imprimis prosternenda.

PRÆSERVATORIA causas antecedentes, nimirum humores peccantes, qui corruptionem & malignitatem fovent, digerit, educit & contagio resistit.

SYMPTOMATA si adsint, illa emendanda. Nimia humorum fermentatio & ebullitio, in quâ instar musti fit *διαχώρησις*, & separatio, interdum compescenda sedativis.

VITALIS vires medicamentis & alimentis in tempore reficiendas & confortandas esse docet.

CAPUT XIIX

Chirurgici fontis scaturigines aperit.

FEbrim inter Deas cultam à Romanis *Valerius maximus dictorum factor. memor. cap. 5.* refert *cæteros, ait, Deos ad benefaciendum venerabantur, febrem autem ad minùs nocendum templis colebant, quorum adhuc unum in palatio, alterum in areâ Marianorum monumentorum, tertium in summâ parte vici longi extat.* Cùm enim varii generis febres multos non solùm invadere, sed è medio etiam tollere viderent, consilio inito, humanis desperatis

auxi-

auxiliis, Deorum gratiam implorandam & cœlestium favorem devoto cultu sollicitandum arbitrati sunt.

Nos petechiali non templa & aras cum Romanis exstruemus, sed invocato priùs divini Numinis auxilio, idoneis medicamentorum armis è corpore humano exterminare conabimur.

Primarium & generosissimum fontis Chirurgici, in omnibus ferè morbis præsertim malignis & calidis auxilium VENÆSECTIO est, materia præsidii, sangvinem seorsim ex venâ sensibiliter evacuantis. Hanc multi è practicâ palæstrâ in petechiali proscribunt rationum & experientiæ clypeo se munientes.

Rationes adducunt I. Quæcunque febris non provenit à plethorâ, sed à cacochimiâ & corruptione sangvinis, in illâ V. S. non administranda. Legitimum enim ejus indicans plethora est.

II. Ubi virium adest imbecillitas, ibi V. S. non est administranda, *Galen. lib. 2.* M. M. *cap. 15. Hippocr. 4. de vict. rat. in acut. 15.* In febre petechiali statim in initio magna adest imbecillitas, consentientibus omnibus practicis, E. ne vires aliàs debiles magis magisque debilitentur.

III. Febris petechialis primò in minoribus hæret venis, à corde longè remotis, quæ aperiri non possunt, ex venâ verò majori melior sangvis effluit, & corrupto frenum demitur, qui deinde ad cor ruit, & gravissimum inducit periculum.

Experientias insuper multas adducunt & autoritates, ex quibus unam vel alteram saltem apponere lubet.

Fracastorius lib. de contagio testatur, cùm febres petechiales in Italiâ primò grassari cœpissent, maculis rubris efflorescentibus, & conjectura, illas habere analogiam cum sangvine, adesset, nec medicis tùm constaret morbi anteà incogniti curatio, eam à V. S. infelici planè successu auspicati sunt, omnes enim, quibus vena secta, perierunt.

Augustinus Thonerus observat. med. observ. 33. cùm febres petechiales in diœcesi Ulmensi grassarentur omnes à sangvinis missione mortuos esse, contrà verò, qui eam non admiserunt, incolumes evasisse confirmat.

His rationibus, autoritatibus & experientiis adducti cum *Helmontio* V. S. remedium incertum & fraudulentum, per quod medicus certam promittere ſanitatem non poſſit, pronunciant.

Verùm enim verò rationes iſtæ adeò prægnantes non ſunt, ut nos deterreant, & divino illi remedio ignominiam concilient. Autoritatibus & experientiis alias opponimus autoritates & experientias.

Ad I. Rationem reſpondemus, in omni febre malignâ plethoram adeſſe impuram ſive notham. Deinde à V. S. æſtuans cacochymia imminuitur & refrigeratur.

In II. diſtingvimus inter aliqualem & inter extremam virium debilitatem. In hâc disſvademus, in illâ concedimus. Hîc tamen mediocritatis limites non violari, ſed pro ratione neceſſitatis & virium emitti ſangvinem volumus.

III. Nec tertius, qui nobis immittitur aries, ſummam V. S. utilitatem obruit. Notum enim eſt, quòd tota ſangvinea maſſa perpetuo motu non ſolùm ex venis majoribus, ſed minoribus etiam circuletur: aliàs enim in venis exilibus putreſceret, & ſic idem ſangvis ſive laudabilis, ſive corruptus, tàm in his, quàm in illis adeſſet. Deinde ſi malignitas illa per poros in extremitates venarum & arteriarum vix conſpicabiles ſeſe inſinuare, & à naturâ repelli non poſſet, non video quid obſtet, quò minùs per earum ductum, qui magis magisque fit auguſtior, in majores venas progrediatur. *Tertiò.* Si in venis malignitas illa hæreret exilibus, à corde longè remotis, vel unico ſudorifero petechialis profligari poſſit, & V. S. non opus eſſet. Verùm hoc contra naturam petechialis eſt, & hæc duo ſimul ſtare nequeunt, febrem petechialem nimirum in venis hærere à corde remotioribus, & cor primarium ejus eſſe ſubjectum.

Autoritatibus iſtorum virorum contradicere nolumus, de eo tamen libenter certi eſſemus, an etiam primo vel ſecundo ſtatim die V. S. adminiſtrârint. Dicitur quidem à *Fracaſtorio*, medicos curationem à V. S. auſpicatos eſſe, verùm cùm petechialis levisſimum habeat principium, & ægrè primâ cognoſci fronte posſit, ipſisque medicis morbus fuerit ignotus, V. S.

nimis

nimis serò institutam arbitramur: post quartum enim diem, cùm massa sangvinea jam turbata est, sangvinem mittere, nisi petechiæ jam apparent, valdè periculosum ducimus.

A nostrâ parte in medium proferimus *Rodericum, à Fonsecâ tom. II. consult. 35.* V. S. svadentem, & quidem à principio, & primo morbi die.

Ludovicus Mercatus, lib. 7. cap. 2. V. S. in febribus malignis citra dubitationem fieri debere affirmat.

Clementius Clementinus Amerinus tract. de pest. in febribus pestilentibus & malignis phlebotomen properè fieri præcipit, quòd humores sint furiosi, & largiter evacuare jubet ad syncopen usque.

Marcellus Capra in libro suo de morbo Siciliæ pandemico, prolixâ oratione deducit, in illâ malignâ febre, cùm vires permiserint, sangvinem copiosè mittendum fuisse.

Minadous lib. 2. de febr. malignis cap. 3. rationibus, autoritatibus & propriis experientiis suffultus V. S. in hâc febre conducere certò credit.

Joh. Coyttarus lib. 2. de febr. purp. curat. multus est in laudibus phlebotomes in purpurâ instituendæ, quam bis, ter, & sæpiùs, si res exigat, repeti posse autumat.

Et licet interdum sequior secutus fuerit eventus, ille non V. S. per se, sed inconvenienter institutæ, vel aliis supervenientibus symptomatibus, vel materiæ malignitati erit ascribendus.

Nec V. S. instituitur ad malignitatem tollendam, sed ad sangvinem imminuendum, ut natura ab onere levata in petechiis expellendis juvetur spiritibusque suppressis subveniat, unde experientia testatur, quòd non tantùm in his febribus, sed etiam in variolis & morbillis V. S. initiò adhibita, cor humoribus non repleat, sed roboret, ut expellere possit sufficienter variolas, morbillos & petechias.

Indicatur, ut juvans V. S. 1. à copiâ & quantitate, quâ sangvis demensum suum superat, & tùm est ἡγεμονικὸν principale evacuatorium, 2. Indicatur à motu sangvinis, & tunc est revulsorium præsidium. 3. Indicatur etiam à sangvine peccante,

 ceu

ceu causâ fovente, ut caliditate viſcerum, & in hoc caſu gerit vicem remedii præſervatorii, quatenus calidus ſangvis imminuitur, & curatorii, quatenus calidum viſcus refrigeratur. 4. Locus eidem etiam datur, quando adeſt cacochymia.

Nos, his rationibus infallibilibus & experientiâ magiſtrâ edocti, ſangvinem æſtuantem non ad malignitatem tollendam, ſed ad minuendum & refrigerandum, ſpiritusque reficiendos evocabimus, præſertim iis, qui ſunt plethorici, aſſveti, juvenes, quibus vires non adeò ſunt proſtratæ, hæmorrhoides & menſes ſuppresſi. Hîc tamen ſtatim primum vel ſecundum morbi diem obſervabimus, & tantum ſangvinis emittemus, quantum ætas, ſexus, morbus, & vires exigunt.

CAPUT XIX

Modum rectæ adminiſtrationis examinat, ratione temporis, quantitatis, loci.

MAgni momenti quæſtio eſt : *an jam apparentibus petechiis vena ſecanda?*

Qui negativam tenent, in copioſo macularum proventu laudabile naturæ inſtitutum non cenſent eſſe inhibendum, ne motus iſte turbetur venenumque ex habitu corporis ad venas retrahatur. *Galen. de ſanit. tuendâ* teſtatur, ſangvinem ſectâ venâ à corporis mole univerſâ ad internas partes remigrare.

His ſeſe opponunt *alii*, *Johan. Bapt. Minadous de abuſ. non mittendi ſangvinis in febribus malignis, etiamnum apparentibus petechiis cap. 14.* Gloriatur, ſe tot ægros febribus malignis, puſtulis, vel papulis exeuntibus & transactâ quartâ, ſeptimâ, & decimâ quartâ die ab inferis revocatos vidiſſe, plurimosque, in quibus natura non poterat ad extimas partes, nec per alios meatus, noxios & venenoſos ſuccos excernere, misſione ſangvinis adjutos ſanitati fuiſſe reſtitutos.

Dominus Caſtellus Venetus teſte *Coſtæo in Avicen. lib. 4. f. 1. tract. 4.*

tract. 4. comm. 4. ſangvinis misſionem, apparentibus jam petechiis, non ſemel feliciſsimè adhibuit.

Lud. Merc. lib. 7. de febr. peſt. & malign. cap. 2. ſi tempus principii negligatur, apparentibus petechiis, ſangvinem mitti ſvadet, præſente tamen plenitudine, viribusque firmis.

Nos V. S. approbamus, ſive *ſymptomaticè* in principio morbi petechiæ erumpant, tunc enim inſignem ſangvinis ebullitionem ex humorum malignorum & corruptorum fervore ortam indicant. Ibi certè V. S. acceleranda, niſi ægrum è medio tollere velis, nullumque periculum inde metuendum. Ut enim dolium, cereviſiâ fermentante repletum, quæ jam per rimas exit, facilè rumpitur, niſi pars quædam vacuetur, quo ſpirituoſi vapores emisſione ſublevati ſe latiùs diffundant, & ab aëre refrigerante admiſſo ſubſidant, ita etiam æſtuantes in ſangvine ſpiritus, demptâ aliquâ portione, placabuntur & conquieſcent.

Sive etiam *criticè* à naturâ expellantur, à V. S. motus non impeditur, ſed potiùs juvatur, cùm natura, ab onere corruptæ materiæ liberata, quâ veluti ſarcinâ premebatur, faciliùs reliquam materiam, teſte *Galeno 5.* m. m. *cap. 12.* concoquet, digeret, & aliorum medicamentorum efficaci συνεργείᾳ ad cutem propellet.

Nec eſt quod objiciatur, materiam retrogredi in corpus. Hoc à V. S. modicâ, quæ viribus reſpondet, non exſpectandum. Ab hâc venæ non multùm concidunt & attrahunt, ſed potiùs naturalem recipiunt conſtitutionem, cùm anteà à maligno humore repletæ ab earumque calore nimis diſtenderentur. Ut autem hìc motus retrogradus eò meliùs impediatur, poſſunt cucurbitulæ, & ſi ægri vires tolerant, ſcarificatæ imponi, præmiſſo priùs ſudorifero.

QUANTITAS moderata pro ægroti conſtitutione accuratè obſervanda, ne ægro & morbum & vitam adimamus. Quòd ſi verò petechialis nullis alexipharmacis, nullis remediis, nullâ venæſectione moderatâ throno ſuo nec moveri, nec dejici, nec æger ſublevari posſit, omnisque ſpes ſalutis concidat, largam V. S. imperamus, deſperato enim

morbo desperata remedia opponenda. Imitamur in eo *Galenum*, qui in synochis, quarum ideam purpuratæ febres sæpiùs referunt, viribus constantibus ad animi deliquium evacuare jubet, quò febrem quasi incantamento quodam sustulisse visus, qui phlebotomen talem maximam febrium continuarum remedium vocat.

Locus ab omnibus commodus habetur brachium, sive dextrum, sive sinistrum. Si tamen suppresio mensium vel hæmorrhoidum renuat, in pede eam administrare, conducibilius est.

VENA, quæ secari debet, in brachio *mediana*, in pede *saphena* est.

CAPUT XX.

Materiæ præsidiorum, sangvinem ex arteriâ & venâ simul evacuantium.

CUCURBITULÆ V.S. vicariæ sunt. Has iis, quibus vires sunt prostratæ, commendamus, quæ potentissimè revellunt & evacuant.

Locus *Zacutus lib. 3. prax. ad mir. observ. 13.* febrem puncticularem, quæ viginti diebus aliis levari non potuit, affixis juxta alas & ingvina cucurbitulis scarificatis levatam refert. *Nos* eas alis affigere maximè dissvademus metu attractionis veneni ad cor & superiora, nec etiam pectori & dorso applicare autores sumus ob venarum longam distantiam, sangvinem quidem copiosum è cute educunt, sed ex toto corpore malignitatem attrahunt; ideoque potiùs in coxis, femoribus, tibiis ac lumbis eas disseminabimus, præmisso ante horam unam vel alteram sudorifero.

TEMPUS commodum est, vel in principio, vel in progressu morbi, petechiis erumpentibus.

HIRUDINES cucurbitulis succedunt. Si æger nec V. S. nec sacrificationem admittere velit, illæ in usum trahendæ. Non so-

solùm cutaneum sangvinem, sed intèriorem etiam à distantibus partibus hauriunt.

Fonseca tom. 1. consult 47. hirudinibus ano admotis uncias quatuor feliciter extraxit.

Petr. Salius se millies experientiâ & felicissimo eventu id comperisse testatur.

Illæ à nonnullis rejiciuntur. 1. quoniam sangvinem subtiliorem exsugentes crassiorem relinquunt. 2. ipsæ hirudines venenosæ sunt, & venenosam qualitatem venis communicare possunt.

Ad I. Respondemus, eas non solùm tenuiorem, sed etiam crassum & limosum exsugere sangvinem probamus 1. Avidè cum vehementiâ eum attrahunt, delectum non attendentes: *deinde* si hirudines post suctionem inscindantur, eas non solùm tenuiorem, sed etiam crassum continere, *videmus*.

Ad II. Respondemus, non omnes venenosas esse, delectuque noxa illa præcaveri, & si forsan aliqua impressa hæreat malignitas, eam aliis mediis, ut detentione in aquâ dulci, vel lacte, morâ temporis interveniente, iterum adimi posse.

Locus sunt hæmorrhoides. Alii eas interiori narium parti applicant & sæpe à maximis ægrum symptomatibus liberant. Sic *Petr. Salius Diversus de febr. pest.* plurimos morti proximos, & ferè solis prognosticis derelictos, ex hoc unico remedio salvatos esse vidit. *Alii* idem testantur. *Nos* eas non planè damnamus, nec temerè adhibendos arbitramur, sed reliquis remediis nihil efficientibus, ne aliquid intermisisse videri possimus, quod in salutem ægro cedere potuisset, eas admittimus, & unam naribus, plures hæmorrhoidibus apponemus.

TEMPUS commodum videtur in morbi progressu & statu.

CA-

CAPUT XXI

Materias præsidiorum, vacuantium succum à sangvine diversum proponit, nimirum vesicatoria, ex cantharidibus parata.

HIc autores multis rationibus, sibi invicem contrariis, digladiantur. Alii vesicatoria maximè damnosa, alii mirabiliter proficua exclamant, & juniorem medicum inde dubium reddunt.

Rodericus à Fonsecâ lib. 2. consult. 31. neque profectò *inquit*, in ingenti calore febrili vesicantium usum probâssem, ad quæ omnes in hâc febre tanquam ad sacram anchoram confugiunt: nam calorem febrilem augent, longo & intolerabili dolore vires dejiciunt: tanta enim invasit horum exhibendorum bulimia, ut in omni propemodum febri, omni ætate, ac omni tempore indifferenter cum maximâ hominum pernicie adhibeantur.

Alii eas inter venena in quarto gradu calida recensent, ideoque ob earum noxiam qualitatem morbi malignitatem intendi, & suspectum eorum usum magis reddi autumant.

Alii insuper addunt eas, non sangvinem, sed solummodò humiditatem educere, & sic in venis capillaribus sangvinem incrassare, unde obstructionem, prohibitam transpirationem & denique putredinem, & febrem produci contendunt.

Alii tandem, coctionem & crises in malignis febribus per illas impediri, objiciunt, dum crudos non coctos humores per cutem evacuant, ac naturam turbent.

Ex alterâ parte eas summè commendant. *Job. Dan. Horstius decad. epist. med. epist. 10. Juratus testór*, inquit, *innumeros vesicatoriis liberatos esse, cùm Gissæ tàm prolixè febres petechiales grassarentur, ut ultra 30. quolibet die curæ meæ concreditos habuerim ægros. Cor enim adeò graviter tùm laborabat, ut bezoartica nihil præstare potuerint, nisi vesicantibus hinc inde applicitis.*

Job.

Joh. Petr. Lotichius: observ. med. lib. 5. cap. 7. observ. 15. plurimum vesicatoriis in febre petechiali tribuendum censet, quæ etiam apparentibus petechiis, tàm in humeris, quàm cruribus excitari possunt.

Nos etiam illis meritas laudes detrahere non possumus, sed potiùs eas utilissimas pronunciamus.

Ad objectiones dissentientium Resp. dolorem eas excitare moderatum, cùm non solùm adultioribus, sed & pueris, imò etiam infantibus, si necessitas exigat, sine singulari molestiâ applicentur: *deinde* dolorem illum statim cessare, quamprimùm vesicæ inciduntur & humor effluit: *tertiò* levamentum longè majus esse, quod ab extracto maligno humore præsentitur, quàm damnum vel incommodum à levi dolore esse possit.

Ad II. & III. rationem, quæ calorem & malignitatem vel venenum objicit, Resp. cantharides vim suam parti, cui adjacent, potissimùm communicare, nec tantum calorem, qui in subjectâ parte est, ad interiores deferri partes, quod videmus, quoniam exteriorem partem saltem exulcerant & inflammant. Et hâc responsione etiam tertiæ objectionis de veneno robur concidit, non enim inter venena valentiora quæ cordi insidias struũt, referendæ sunt, sed imbelle habent venenũ, quod à parte ulceratâ attrahitur, & oleo scorpionũ facile tollitur. *Nos* potiùs singularem earum usum præferimus metui ab aliis allato.

Ad IV. Resp. concedendo eas non sangvinem, sed humorem elicere, interim tamen is summè noxius & malignus est, eo autem extracto, sangvinem crassiorem reddi negamus, cùm plerumque in febre petechiali humores abundent. Deinde etiam præmissis universalibus administrari debent. Tertiò sudorifero paulò post adhibito sangvis attenuatur, putredo præcavetur, & transpiratio libera redditur.

Ad V. Resp. Non turbari naturam, sed potiùs humores ante coctionem primo die utiliter evacuari, antequàm vitium contrahant. Hæc evacuatio, etiamsi videatur symptomatica, plurimis tamen ægrotis salutariter cessit.

Locus in humeris & cruribus aptus est, non enim superioribus solùm partibus, sed inferioribus etiam imponere solemus.

TEMPUS in principio non tantùm, ſed quando commodum videtur, aptum.

PARANDI MODUS ſcitu dignus. ℞. *ferment. acris* ℥ß. *cantharid.* ʒiij. *ſem. ammios* ʒj. *cum acet. acerrimo miſceantur. F. paſta.* Nonnunquam additur *ſinapi* ʒj. *vel euphorb,* ℈j Applicatur ſecundùm artem.

CAPUT XXII

pharmacopœorum tabernas conſulit.

HEracleotes Zeuxis pictor ſuo tempore accuratisſimus, elegantisſimam in fano Junonis ſub Helenæ ſimulachro formæ muliebris ſtructuram exhibiturus, ex omnibus virginibus formoſiſſimas ſibi præberi petiit. Cumque Crotoniatæ publico de conſilio illas unum in locum conduxiſſent, ille quinque delegit.

Nos in oppugnando hoſte noſtro ſpecimen exhibituri, cum Crotoniatis omnes pharmacopœorum pyxides, & myrothecas, omnia remediorum genera in unum quaſi theatrum adducemus, & cum Zeuxi Heracleote non quinque, ſed plurima ægri potisſimùm ſaluti inſervientia eligemus.

In hoc fonte primas obtinere videntur PURGANTIA, quæ tamen maximum autorum diſſenſum experiuntur.

NEGANTIUM numerus *Hippocratis* decretum *lib. 1. aphor. 22.* producit, qui concocta ſolùm medicanda, non cruda, aſſerit. Nec non ejusdem *lib. 3. epid. ſect. 3. text. 56. & 57.* teſtimonium, omnes ferè peſte laborantes ventris purgatione extinctos eſſe.

RATIONES etiam ſatis prægnantes profert;

I. Exitialis petechialis qualitas non in morboſo corporis apparatu, ſed in ſubtili ſpiritali & aëreâ ſubſtantiâ conſiſtit, quæ vel aëris attractione & inſpiratu, vel contagio corpori communicata, malignâ ſuâ vi illud afficit. Hæc nullis cedit purgantibus, & non niſi propriis alexipharmacis per inſenſilem διαπνοὴν foras commodiſſimè exterminatur.

II. Pur-

II. Purgatione totum commovetur corpus, & venenum concitatum aliis innoxiis commiſcetur humoribus.

III. Purgatione in principio morbi inſtitutâ, cùm materia non in ventriculo & inteſtinis, ſed in penitioribus adhuc deliteſcat venis, potiùs ad partes nobiliores internas malignitas magis revocatur, & naturæ conatus, quæ conceptum venenum ad habitum corporis expellit, intervertitur.

Affirmantium ordo purgationem urget citiſſimam, cùm humorem iſtum venenatum coctionem non recipere, ſed toto genere deleterium & præternaturalem exiſtere, indefeſſâ actione, aſſiduâque fermentatione multiplicari, maximo ægrotantis detrimento, ſciat, ideoque potiùs primo ſtatim tempore materiam corruptam excludere jubet, quàm dilato remedio, malignitatem augere, viribusque proſtratis fallaciſſimæ morborum excretioni ægrotum relinquere.

Hippocratis inſuper Autoritatem affert, *lib. 3. epid. 3. t. 29.* qui in ſui temporis peſtilentiâ, quibus commodè alvus turbata fuit, reſtitutos obſervavit.

Avicennæ lib. 4. f. 1. tr. 4 purgationem in peſte approbantis ſuffragium ſubjungit. Et oportet, *inquit*, ut incipiatur in eâ ad evacuandum, ſi enim materia vincens fuerit ſangvinea, fiat phlebotome, ſi alii humores fuerint, evacuentur.

Herculis Saxoniæ lib. 8. de febr. cap. 37. adſenſus ab ipſis magni æſtimatur. Si febris peſtilens ſit ex aëre, vel causâ extrinſecâ, non improbat medicamenta purgantia, ſi homo ſit probis humoribus; Imò in peſte admittit cathartica validiſſima, ſi homo ſit robuſtus.

In hoc autorum diſſenſu ſententiam pronunciare temerarium, judicium ſuſpendere, tergiverſantis eſt; malumus nos, quid commodum videatur, indicare, quàm in alterius gratiam obmuteſcere.

Validiora itaque purgantia planè *rejicimus*, quoniam præter ea, quæ à parte negativâ afferuntur, etiam maximam virium proſtrationem inducunt, & dubio ſanè eventu exhibentur. Nullis autem alvum ſollicitare clyſteribus & laxantibus, naturæque ſoli opus committere, autores eſſe non poſſumus; cùm

plerumque cacochymia insignis adsit, quæ omninò ex primis viis educenda est. Ab istis laxantibus, quæ leniter alvum subducunt, nulla speranda humorum vehemens commotio, nulla timenda ad interiora attractio, sed salutaris exspectanda evacuatio. Hæc quamvis malignitatem non ex interioribus venis educat, cacochymiæ tamen copiam minuit, ut reliquum à naturâ faciliùs exsuperari possit.

Nos itaque ægrotum, ut per seriam pœnitentiam se ad DEUM convertat, ejusque auxilium & benedictionem ardentibus nobiscum imploret precibus, monebimus, & sine morâ curationem à clystere inchoabimus.

℞. *herb. malv.*
atriplic.
☿rial.
scord.
puleg. mont. a. mj.
summit. centaur. min.
rut.
semperviv.
flor. malv. hort. rubr.
nymph.
hyperic.
melilot. a. p. iij.
radic. alth.
scorzon.
vincetox.
bryon. a. ʒiij.
sem. anis.
aneth. a. ʒij.
hord. mund. non excort. mß.
fic. pingu. nr. viij.
Coq. in s. q. juris pulli.
Colaturæ ℔j. adde
electuar. diacathol.
diaprun. a. ℥j.
ol. coct. rosar.
melil.
absinth.
rutæ a. ʒiiß.
vitell. ov. n. j.
lap. prunell. ʒß.
M. F. Clyster tepidè applicandus.

Suppositoria parentur ex *sevo, melle cocto, sapone*, vel

℞. *sper. hier. ʒij.*
sal. gemm. ℈ß.
mell. q. s. F. *l. a. suppositor.*
illinatur ol. amygd. dulc. D. ad chartam

Clysteribus & *suppositoriis* succedunt LENIENTIA, & LAXANTIA per os assumanda.

In

In forma pulveris.

℞. *acid. ♀ri santal. Rolf.* ℈j.
elæosach. angelic. ejusd. ℈ß.
g. g. cum sp. ⊕li ppt. g. viij.
M. F. pulvis in jusculo propinandus. Vel:

℞. *crem.* ♀. ℈j.
rad. rhabarb. opt. ʒß.
sal. rutæ. g. vj.
ol. anis. g. iiij.
M. F. pulvis.

In bolo.

℞. *cass. recent. extr.* ℥j.
pulp. tamarind. ℥ß.
theriac. veter. gr. iij.
elæos. citri q. s.
pro conficiendo bolo. Vel:

℞. *conserv. acetos.* ʒiiß.
♀ ⊕*lat.* ℈ß.
magist. gialap.
scammon. a. g. vj. Mins.
cum *elæosach. lign. rhodii* F. bolus.

℞. *cathart. regii Minsicht.* ʒiß.
In pyxide **S. Purgier-Latwerg.**

In formâ pilularum.

℞. MP. *aloeticar.*
Francofurt. a. ℈ß.
c. sir. cichor. c. rhabarb.
F. pilulæ instar ervi.
S. laxier Pilulen auff jmal.

℞. *extr. cathol.* D. *Michael.*
rhabarb. a. ℈ß.
c. ol. anisi.
F. pilulæ nr. XVJ. consperg. pulvere sant. rubr.

In potione.

℞. ▽ *pomor. borsdorff.*
acetosæ
meliloti
rosarum a. ℥j.
sir. cichor. c. rhabarb.
rosar. solut. a. ʒß.
extr. centaur. min. ℈ß.
tinct. ♂ aperient. Rolf. ʒß.
crem. ♀. ℈j.
M. F. julepus purgans. Vel:

℞. *hord. mund. m. iij.*
pulp. tamarind. ℥iß.
Coq. in s. q. △ *fontana* sub finē adde
santal. citr. ʒij.
cinam. ℥ß.
sem. anis. ʒiß.
refrigerata coletur potio, alvo laxandæ, siti sedandæ, cordique refrigerando & corroborando inserviens. Vel:

℞. *fol.*

℞. *fol. sen. Alex. s. st. ℥ß.*
cichor.
endiv.
acetos. a. mß.
pulpæ. tamarind. ℥ß.
Coq. in s. q. aq. fumar. ad ℥iij.
In colaturâ dissolve
cryst all. ♀ santalin. Rolf.
sp. ⊕l. irror. ℈j.
sir. ros. solut. ℥j.
⊖ rutæ gr. viij.
M. F. potio laxans. Vel:

℞. *decoct. prun. de prunell.*
▽ acetosæ
è toto citro parat. a. ℥j.
rob. rib. purg. ʒiij.
agar. trochisc. ʒiß.
mann. calabrin. puriss. ℥vj.
▽ theriacal. ℈ij.
spir. ♀ gutt. viij.
M. F. haustus pro unâ vice.

VOMITORIIS in petechiali parùm tribuimus. Egregium sunt remedium in veneno ore assumto, in nostro verò affectu, ubi malignitas in sanguine potissimùm hæret, ea proficua judicare non possumus, quoniam parum auxilii, multum verò infirmitatis afferrent. Si tamen medicus certus sit, maximam humorum colluviem in ventriculo hærere, ad eam tollendam sequentibus uti potest.

In formâ boli.

℞. *conserv. rosar. ⊕lat, ʒiß.*
☿. vitæ gr. iij, iiij.
pulv. rad. angelic. q. s.
pro conficiendo bolo.

In formâ sirupi.

℞. *cryst all. ♀ emet. absinthiac.*
Mins. gr. v.
sir. fumar. ʒiij.
citri ʒiß.
M. F. sirupus emeticus.

CAPUT XXIII

diaphoretica proponit.

GEnerosissimum & efficacissimum in petechiali remedium sunt DIAPHORETICA non tàm ratione febris, quàm ratione malignitatis. Ab hisce ægroti salus maximè dependet. Illis nihil efficientibus, nulla ægri restitutio speranda.

In

In formâ pulveris.

℞. *bezoard. solar. Rolf. gr. iiij.*
C. C. philos. ppt. ʒj.
bezoar. orient. gr. iiij.
ol. citri g. iij.
M. F. pulvis. Vel:

℞. *sal. prunell* ʒiij.
bezoard. miner. ʒj.
camphor ℈j.
croci ℈ß.
M. dosis ʒj. cum ▽ *card. bened.* vel aliâ alexiter. *Riverius.*

In bolo.

℞. *theriac. veter.* ʒj.
confect. alkerm. ʒß.
spec. liberant. ℈j.
♉ *diaphor.* ℈ß.
M. F. Bolus. Vel:

℞. *conserv. fumar.* ℥ij.
pulv. Imperial. ℥ß.
carn. citri recent.
C. pulv. rad. contrahierv. s. q.
F. Bolus.

In potione.

℞. *mistur. sudorif. cathol. Rolf* ℥iß.
spir. sangv. human. g. vij.
cervin. g. vj.
sir. citri ℥ß.
M. F. Potio. Vel:

℞. *essent. camph. alexiter. cõposit. B. Mœbii.* ʒij.
▽ *fumar.* ℥ß.
sir. card. bened. ʒiij.
M. F. Potiuncula.

In simili habentur laude, *tinctur. compos. alexipharm. Rolfincii, spirit. cordial. balsamic. ejusd.* ▽ *vitæ pestil. Andernaci.* ▽ *vitæ rhizotica Zwingeri,* ▽ *de C. C. Myns. liquor. diaphoret. liq. nitratus & vitriolatus, item spir. vin. theriacal. ejusd.* ▽ *bezoardica August.* ▽ *bardanæ compos. eorund.* ▽ *cordial. Saxonica.* ▽ *cordial. Fonsec.* ▽ *tophor. C. C. Hartmanni. acet. bezoard. Augustan. Myns. Mœbii. bezoar. potabile Myns. elixir pestilentiale Theophr. mistur. alexiteria Kneufelii, Kyperi, electuar. diascord. rosat. Myns. electuar. camphorat. Craton. pulvis Pannonicus Sennert.* & similia.

CA-

alterantia & confortantia deprædicat.

SUdore sufficienter alternis provocato vicibus subjungenda ALTERANTIA & CONFORTANTIA.

I. INTERNA

In formâ pulveris.

℞. *magist. perlar. butyrac.*
resolubil. Rolfinc.
C. C. sp. ⊖*l. ppt. a.* ʒß.
unicornu. solar. Mins. gr. viij.
ol. citri g. iij.
M. divid. in 4. part. æqual. S. Hertzstärckendes Pulver.

℞. *pulv. Marchion.* ʒß.
magist. corall.
C. alcis a. ℈j.
ol. rosar. veri g. ij.
M. in chart. S. Schwitz-Pulver auff 1mahl.

In formâ julepi.

℞. *radic. scorzon.*
acetos.
angelic. a. ℥ß.
semin. 4. fr. maj. a. ℥ij.
lign. sant. rubr.
rhod. a. ʒj.
cinam. elect. ʒij.
passul. min. ℥ß.
rasur. C. alcis ℥j.
Coq. ins. q. ▽ *hord. in*
Colaturæ ℔j. *dissolve.*
succ. citr.
granat.
berber. a. ʒvj.
sir. acetos.
tunic.
ceras. a. ℥ij.
confect. alckerm. ʒij.
M. F. Julepus optimus. Vel:

℞. *mistur. cont. cord. infirmit.*
Rolf. ℥iiß.
▽ *cinam. buglossat. Myns.*
scordii
acetosæ.
pomor. borsdorff.
ceras. nigr. a. ℥iij.
sir. citri perlati ℥ij.
berber. corallisat. ℥iß.
M. in fictili puro. S. Sonderlicher Krafft-Julep.

℞. *de coct. citri ad ideam. Myns.*
parat. ℥xj.
in fictili benè munito.
S. Krafft-Julep. Ejus hauriat æger, quantum vult, cum libuerit,

In

℞. *conserv. rosar.*
acetosell.
tunic. a. ℥. *ij.*
roris ☉ ʒ*j.*
rob. ribes.
condit. lactuc. Ital.
rad. cichor. a. ʒ*iij.*
confect. de hyacinth. ʒ*iß.*
spec. diamarg. fr.
liberant. a. ℈*iß.*
spir. ⊕. 🜍 *aa.* ℈*ß.*
c. sir. acetos. citri q. s.
M. F. electuarium maximè salutare.

II. EXTERNA cordis regioni, naribus, temporibus & pulsibus applicanda in *principio*, petechiis verò efflorescentibus propter repulsionis metum ab illis abstinendum, die decimo octavo rursus usurpari queunt, & sunt sequentia:

℞. *spec. pro epithemat. cord.* ʒ*j.*
de gemm. fr.
rad. contrahiervæ ʒ*ß.*
santal. omn. a. ʒ*j.*
flor. cordial. temperat a. ℈*iiij.*
D. in scatulâ s. species zum Puls-Säcklein.

℞. *extr. cordial. Norinberg.*
epithemat. cord. Mins. a. ℥*ij.*
▽ *pulegii*
rosar. a. ℥*iij.*
acet. bezoard. ℥*j.*
camphoræ g. viij.
croci g. vj.
M. in fict. S. epithema pro pulsibus tepidè applicandum.

℞. *balsam. antilimic. Rolf.*
camphorat. Salæ a. ʒ*j.*
extr. theriac. ʒ*ß.*
confect. alkerm. ℈*j.*
ol. citri
cinam.
melisf.
rutæ
rosar. ver.
angelic. a. gutt. v.
M. in pyxide eleganti. S. Hertz- Schlaff- und Nasen-Balsam.

CAPUT XXV.
symptomatibus it obviam.

HÆc cùm non solùm, quatenus obtinent rationem causæ, quæ est *Galeni 12. m. m. cap. 1.* opinio, verùm etiam *καθ*

ἑαυτὰ per se, indicent, & ablatione indigeant à morbi curatione distinctâ, nec semper expectare cogamur, morbi illius, quem sequuntur, curationem, nisi velimus periculum, quod minantur, in actum deduci, meritò attendenda.

Dolor cùm urget in capite, vel ventriculo, mitigandus, præcipuè externis. Interna levia parci juvaminis. A generosis, stupefacientibus metus, ne motus inhibeatur.

℞. *aq. verben. plantag. solani. rosar. a.* ℥ij.
sem. papav. ℥ß. *nucl. persicor. cerasor. a. nr. XX.*

Emulsio per linteum cum expressione fasciâ lineâ excepta applicetur fronti. S. Stirn-Milch.

℞. *spir. menth. cum vino destill.* ℥iij.
sirupi corallor. ℥j.
elæosacch. anis. ℈j
M. in vitro S. Stillend-Säfftlein.

VIGILIÆ priori emulsioni medelam acceptum ferre queunt, & si libuerit gr. j. aut ij. *opii thebaici* s. *method. Rolfinc.* in *aq. apoplect.* soluti addi possunt.

ARDOR oris, lingvæ & faucium mitigatur collutionibus, quibus ⦶ admistum.

Caput XXVI
Diætæ rationem adnectit.

EXquisitissimam Indi Brasiliani vitæ habere rationem, & à morbo convalescentes, vix soli vel levissimæ sese auræ exponere *historici* testantur. Si & nos accuratissimas diætæ leges observaremus, multis morbis occurrere possemus. Quotidiana enim docet experientia, innumeras diætam exhibere miseriarum tragœdias, si vel in excessu peccetur, vel cibi difficilis coctionis debili offerantur ventriculo. Ex solâ enim diætâ plurima morborum proveniunt spectacula, inter quæ non ultima

pete-

petechialis obtinet ſubſellia. Ut itaque ægrotus fugienda fugere, & convenientia eligere poſſit fercula, quædam ipſi præſcribemus.

Sed hîc nos à propoſito deſiſtere monent, qui febrem petechialem non tàm à diætâ, quàm à contagio vel aëre inquinato oriri aſſerunt.

His autem, ut ſcrupulum eximamus, dicimus, nos non ignorare, ab aëre & contagio multis accidere petechialem, diætam autem præſcribere, 1. ut ciborum quantitate obſervatâ, corpus à cruditatibus liberum reddamus, quò eò feliciùs deinde advenienti petechiali reſiſtatur. 2. cùm ſciamus, hunc cibum magis ad febres diſponere, & petechiali anſam dare, quàm illum, ideoque eorum mentionem huc facere conſtituimus.

Agmen in fonte diætætico VITALI ducit AER. Si fieri poteſt, eligatur temperatus, purus. *Sanis* ad frigiditatem magis & humiditatem inclinet, *ægris* ad caliditatem magis & ſiccitatem accedat, quò eò meliùs natura expellere malignitatem posſit.

Locus in quo æger decumbit, vel mortuus eſt, quantum poſſibile, vitetur.

IN NATURALI diætâ VICTUS ab *Hippocrate* febricitantibus proponitur humidus, nos facilis concoctionis bonique nutrimenti addimus.

Caro vitulina, agnina, bovina, cervina, leporina recens, ſive cocta, ſive aſſata placet. Suilla, cervina vetus, rancida, fætida, item bovis & vaccæ ſenioris rejicitur, quoniam exſucca & dura eſt, & pravos ſuccos generat.

Perdices, gallinæ, gallinæ Indicæ, capones, turdi, merulæ, columbæ juniores, anſeres mediæ ætatis ſaginati, omnem bonæ nutritionis exſpectationem explent. Veteres verò anſeres & galli ſeniores, veneris uſu attriti, menſam non ornent.

Inter piſces præferendi ſaxatiles. Conveniunt, percæ, cobites, barbatulæ, funduli, truttæ, thymali, mulli, aliique viſcoſitatis & glutinoſitatis ſuſpicionis expertes. Muſtelæ, angvillæ, murenæ, flutæ, aſelli, rajæ, paſceres exſiccati, tincæ, &c. minùs aptæ.

Salis, aceti, sacchari, mellis usus sit moderatus.

Ova sorbilia in laude habentur.

Fructus horarii proscribendi. Ulcera & tubera terræ aliis relinquenda.

Potus. Juscula ex præcedentibus carnibus præparata, ptisana hordeacea convenientissima.

Cerevisia bonæ famæ & probè defecata admittitur. Medicata flor. cordial. herb. acetos. scord. rut. rad. angel. & aliis præfertur, cui addi possunt aliquot gutt. spir. ⊕l. ♆.

Vinum an concedi possit, medici diversis occurrunt frontibus.

Nos biliosis temperamentis in febre intensâ, cum siti, lingvæ siccitate, & nigredine illud exhibere summè perniciosum *putamus*. Iis autem, quibus febris remissior, malignitas major, sitis ferè nulla, lingva humida, & qui sunt pituitosi, vinum arbitramur convenientissimum.

IN ANIMALI DIÆTA Motus & Quies se invicem excipiant moderatè. *Motus* corporis nimius & vehemens, sangvinem concitat, vires defatigat. *Quies* mediocritatis terminos excedens cruditates, obstructiones, & tandem febres progenerat.

Vigiliæ moderatæ salutares. *Nimiæ* spiritus animales turbant, debilitant, exhauriunt, capitis gravitates accersunt.

Excreta Et Retenta à naturali non declinent statu.

Alvus sui officii immemor clysteribus admonenda.

Venereis voluptatibus omnibus portam claudimus.

Animi παθήματα, quæ singularem in corpore alterationis potestatem habent, non admittenda. *Hilaritati* & *Gaudio* moderato locus relinquitur. *Timorem*, *iram*, *mœstitiam*, ut ipsam mortem, fugiat, illæ enim citissimè, hæc sensim calorem spiritusque refrigeratis extremis partibus simul cum petechiis ad cor revocat, & periculum ingens ominantur.


Et sic manum de tabulâ movemus, hujus petechialis theatrum clausuri. Quòd si à veritatis semitâ in uno vel altero aberraverimus, à sanioribus in veram nos doctrinæ reduci viam lubentissime

ben-

bentes patiemur, quotidiè meliora edocti. Experientiæ canis adhuc destituti, doctioribus nos præbebimus faciles.

Tibi verò, æterne DEUS, qui hactenus studiis nostris benedixisti, gratias ex intimis cordis penetralibus pro tuâ in hoc opere assistentiâ agimus maximas. Concede clementissimè, ut studia nostra in Tui imprimis Nominis Sanctissimi gloriam, ingemiscentis ægroti salutem, nostrumque denique vergant emolumentum.

SOLI DEO GLORIA!



Ad
Experientissimum & Præclarissimum
DN. DOCTORANDUM RESPONDENTEM; Amicum & Commensalem suum honorandum.



Aggrederis *morbum*, qui multos cuspide mortis
Exstinxit; varium terrificumque *genus!*
Quem si quis videat, *monstrum* vocet horridum & ingens;
Quod soleat Medicas vix trepidare manus.
Sed bene fit, chartis hunc tantûm sistis, at ægrum
Hunc qui sustineat, postera CURA manet.
Utraque CURA, precor, sit felix! utraque secum
Commoda multa ferat, promeritumque GRADUM!

Benevolentiæ testandæ causâ faciebat,
Christianus Chemnitius, D.P.P.
Pastor & Superintendens.

Nobili atq; CL. V.

DN. CHRISTOPHORO RELOVIO,

Med. Doctorando dignissimo.

PRO LICENTIA

summos in Medicinâ honores petendi

disputaturo

FELICITER!

TE porrò Aeneas (α) & avunculus excitet Hector (β)
His si non major, ne minor ipse sies.

(α) D. Guernerus Rolfincius, Med. Pract. ac Chimiæ in Acad. Prof. Sal. Primarius.
(β) D. Christoph. Schelhammerus, Botan. Chirurg. atque Anat. itid. hîc quondam Prof. Publ.

affectu, & quidem singulari testando L. M. Q. scribebam

Joh. Ern. Gerhardus,
SS. Th. D. Prof. Publ.

RELOVI, divinæ artis prænobile germen.
dum chartis animi properas includere sensa,
abdita *purpureæ* reseras penetralia *febris*,
ostendisque viam, quâ vita salusque tuenda,
aurea fæcundo de pectore flumina fundens.
Purpuream sic per febrim tua gloria surgit,
et tenebræ fugiunt: lux aurea dimovet umbras.
Doctorum fœcunda parens SALANA virorum
applaudit, nova serta parans, condigna laborum
præmia. Pieridum gratatur turba sororum.

En

En tua Doctorum mox purpura tempora cinget,
gloria, quæ cineres tumulosque perosa, bonorum
crescat in immensum, volitetque per ora virorum.

CLARISSIMO DOCTORANDO

de speciosis in medico stadiô progressibus gratulatur, ipsique in gravium morborum curationibus faventem ὑγιείαν & divinam benedictionem apprecatur,

Guernerus Rolfincius,
D. & Prof. Publicus.

RELOVI Medicæ præfulgida stella cathedræ,
res Tua nunc agitur. Non est mortale quod optas,
Doctorum lateri sociarier ordine primus.
Ardorem studii hunc ardor probat iste febrilis:
Ardeat excellens nomen, post fata superstes!

Ita vovet
Joh. Theodorus Schenck,
Med. D. P.P.

POstquam devotas in cuncta pericula dextras
Sustinuit Miles signa cruenta sequens,
Nec timuit gladios neq; vim, neq; tela, nec ignes
Objecitque hosti pectora sæva tetro,

Ex

Ex hostis prædâ tandem sibi præmia sumit
Et forti palmam victor ab hoste gerit.
Sic quoq; MUSARUM gnavus, qui castra secutus
Infracti studii præmia justa capit:
Exemplum Nobis CLARUS RELOVIUS addit,
Qui tenus hâc MEDICÆ commoda multa REI
CONGESSIT, *magni* studiô fervente GALENI
Et sectatus opes *nocte dieq́; VIGIL*;
Accipit actorum jam præmia justa laborum
Et MEDICOS inter *nobile nomen* habet.
Ex animô grator TIBI; mox *sic ibis ad astra*,
Et MEDICI fies gloria magna *chori*.

CLARISSIMO DN. DOCTORANDO FAUTORI & AMICO SUO HONORANDO ita Συγχαίρων *applaudere voluit*

M. JOHANNES CHRISTOPHORUS **Hundeshagen**/
Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Adjunctus.

Qui toties cathedram, populo spectante, petebas,
nunc tandem victor summâ cum laude triumphas.
Purpuream testor febrim, quæ victa recedit,
cujus ad interitum surgis nova stella coruscans.
Invideat Lachesis, plaudat nunc æger anhelus,
atque tuas medico laudes deprædicet orbi.

Clarissimo DN. DOCTORANDO Fautori & contubernali suo honoratissimo gratulabundus apponebat

Johannes Nicolaus Groshain,
med. ac chimiæ cultor.

F I N I S.